



J. N. Funccius, Cass.
A. 1746.

Stb. 12.

SYMBOLÆ
LITERARIÆ
AD
INCREMENTUM
SCIENTIARUM OMNE GENUS
A
VARIIS AMICE COLLATÆ.
TOMI SECUNDI
PARS III.



BREMÆ
Sumptibus GERH. WILH. RUMPII.
Anno MDCCXLVI.

SYMBOLAE

LITTERARUM

AD

INGREDIENTIUM

SCIENTIARUM OMNIVM CLASSE

VARRI ABBATIS COLLEGIAT

TOME SECONDI


PARS III



Sumptibus et Typographia J. G. R. R. R. R.

ANNO MDCCLXXII





(o)



CONSPICITUR
TERTIA HAC PARTE
TOMI SECUNDI:

- I. CHRISTIANI LUDOVICI
SCHLICHTER DE ALTARI AV-
REO TABERNACVLI EJVSQVE MYSTE-
RIO, LIBELLVS SINGVLARIS. p. 401
--488.
- II. J. D. von HOVEN, *Consist. Regii Ad-
fessoris, Hist. & Eloq. Prof. O. in Athenæo
Lingensi*, SCHEMA HEBDOMADVM LXX.
DANIELIS. post p. 488.
- III. JOANNIS GOTTLOB GUILIELMI
DUNCKEL V. D. M. *Anhaltino-Cothe-
niensis*, SPECIMEN LEXICI GRÆCO-CEL-
TICI HARMONICI, QVO GRÆCÆ ET
GERMANICÆ LINGVÆ SIMVLQVE MA-
TRIS SCYTHICÆ VEL CELTICÆ EJVS-
QVE



(o)




QVE FILIARVM , TVM ET PLVRIMARVM ALIARVM LINGVARVM CONVENIENTIA OSTENDITVR , AD DVCTVM VOCABVLORVM GRÆCORVM lit. B. ab initio usque βαφη. p. 489 - 542.

IV. JOH. NICOLAI FVNCCII, *Cassellani, Scholæ Regiæ Rintelienfis Rectoris, de* ACROAMATIBVS , INTER COENANDVM OBLECTAMENTIS , VETERVM ROMANORVM , AD ILLUSTRANDA QVÆDAM AVCTORVM CLASSIC. LOCA , LVCVBRATIVNCVLA p.542-560.

V. FERDINANDI STOSCH ANALECTA AD CATALOGVM COMMENTARIORVM RARIORVM IN APOCALYPSIN. p. 561-569.

VI. CONRADI IKENII DISSERTATIVNCVLA AD LOCVM FESTI AVIENI IN DESCRIPTIONE ORBIS vs. 418. p. 569-



I,

CHRISTIANI LVDOVICI
SCHLICHTER

DE

ALTARI AVREO
TABERNACVLI

EJVSQVE MYSTERIO,
LIBELLVS SINGVLARIS,
PRÆFATIO,

ARGVMENTVM.

De Altari aureo scripserunt varii, ut & de
altaribus gentilium. AMMONIVS
Lampriensis distingui debet ab Alexandro
ejusdem nominis. Utriusque scripta memoran-
tur, illius de altaribus, hujus de similibus &
differ. vocabulis. Posterioris nova editio pro-
missa est in Suecia.

Tom. II. P. III. D d Tan=

Tandem in lucem prodit tractatus de altari aureo, quo tabernaculum Mosaicum olim mirifice superbiit. Jam dudum quidem in stadio *anti-quitatum hebraicarum*, quod olim pro conditione *muneris Academici* ingressus fueram, alacriter progredi cogitavi, sed labores *sacri*, iique interdum prorsus extraordinarii, quos post factam sedis mutationem in cœtu satis numerofo sustinere debui, editionem *novorum opusculorum* hæcenus retardarunt. Interim dilationis præter meam aliorumque expectationem factæ me nunc non plane pœnitet, dum materiam hanc gravioris omnino momenti altius meditari, eamque majori cum cura quocunque modo expolire licuit. Quid ego, quid alii in hoc argumento præstiterint, penes lectorem iudicium esto, ne aliorum diligentia aliquid subtrahere videar, vel mihi aliqua ex parte blandiri. Qui ante me saxum hoc volverunt, sunt *David GERTMANNVS, Hamburgenfis & Jo. ab HAMM Philologus* tum temporis *Herbornensis*, hodie *Duisburgensis*, * quorum prior *duas*

* Vid. B. Theod. HASÆVS in tract. de lapide fundamenti, cui olim arca fœderis inposita fuit cap. I. §. 4 & pl. Ven. Com. IKEN ad cod. תמר cap. VI. m. II. p. 109 Alios ex *Judeis & Christianis* quoque memorat celeb. WOLFIVS cur. crit. ad Luc. I. 10. & præcipue ad *Lundium* f. 146. sed quæ *Bernhardus LAMY* lib. III. de *tabernac. Mos. Sect. VI. f. 394.* sq. habet, paucissima sunt, & argumentum hoc parum illustrant.

hoc de Argumento *dissertationes* 1699. in Academia *Wittebergensi* edidit, posterior autem *Herbornæ* 1715. integrum *tractatum* quem *Theod. HASÆVS*, Vir insignis, *librum elegantem* alicubi appellat. Cl. GERTMANNI *dissertationes*, multâ licet curâ quaeritas, hæctenus non vidi, cel. HAMMII vero libellum, qui materiam prolixiorẽ de *suffitu Hebræorum*, a me aliam in occasionem rejectam, simul complectitur, laudari in *memoris Trevoltiensibus* cel. WOLFIUS ad *Lundium* testatur. Opellam meam qualemcumque quod attinet, eundem planè ordinem, quem olim in scriptis ad *antiquitates Hebræorum*, diligenter observavi, in ea deprehendes. Nonnulla tamen, quæ alibi a me uberius explicata fuere, tribus tantum repetii, ne idem mihi aliquando objiciatur, quod quondam V. Cl. *Fo. Gottfried WERCHAV Augusto PFEIFFERO*, Viro cæteroquin præstantissimo, exprobravit, *ipsum videlicet in more habere, ut quæ semel scripsit, sæpissime in alios libros trans-scribat.* *dissert. de ספירת עשר* seu de *ablatione scribarum* §. V. ** Cæterum pro more consueto non pauca ex *antiquitatibus* aliarum gentium petita, ritibusque *Hebræorum* adfinia, prouti necesse erat, adduxi, ut suavi rerum varietate

D d 2

** quæ *Lipsiæ* 1715. lucem vidit, & ob præstantiam singularem tomo I. *thesauri Hasæo-Ikeniani* f. 19. sqq. recusa legitur.

tate attentio lectoris eò magis excitetur. Ulterius vero hunc in campum exspatiari non libuit, unde ad auctores, qui de *aristogentilium* uberius egerunt, a *Jo. Alb. FABRICIO bibliograph. antiq.* p. 299. diligenter excitatos, lectorem meum remitto. Plura quoque hoc de argumento nobis sine dubio constarent, si modo superesset opus illud eximium *Ammonii Lampriensis* *περὶ Ῥωμαίων καὶ Ἑλλήνων* *, cujus *Harpocratio*, *Athenæus*, aliique meminerunt. vid. Th. J. ab ALMELOVEEN in *opusculis* p. 50. & *Theoph.* AMELIVS ad *loca difficil.* V. T. tom. I. p. 291. in notis, sed cum injuriâ temporum illud jamdudum perierit, iis, quæ sparsim ex illo apud alios leguntur, contentos nos esse, oportet. Vale L. B. & mihi, ut facis, favere perge.

CAP.

* unum idemque volumen est, licet *Harpocratio* citet libros *Ammonii περὶ Ῥωμαίων*, & alius *Alexander Ammonius* (qui de *similibus & differentiibus vocabulis* scripsit libellum singularem, *Scapule* *lexico* annexum, vid. *Jo. FAES* lib. I. de *hebdomade magna* cap. XIV. p. 193. cujus novam, eamque magis emendatam & castigatam, editionem promissit *Zach. PLANTIN*, *Suecus* græce doctissimus, conf. *Acta liter. Sueciae* A. 1723. p. 452) *περὶ Ἑλλήνων*, scripsit ut patet ex eodem *Harpocratio* in *Ἀναζώνιον*, observante *Gisberto CVPERO* *observati.* lib. I. cap. XII. p. m. 95. seq.

CAP. I.
DE
NOMINIBVS ALTARIS AVREI.

ARGVMENTVM

§. 1. מזבח altare exterius & interius no-
tat. Quare posterius sic dicatur? זבח macta-
vit animal. זבח victima, epulum. Cl. HEI-
NIVS laudatur. Sacrificium notat preces, e-
leemosynas & alia. Suffitus species sacrifici-
orum. מזבח visiformæ locum innuit. §. 2. Di-
citur altare aureum, suffitus, & interius.
Vox פנימה interiora penetralia domus indicat.
§. 3. ὄψιασθριον, θυμιασθριον, βωμος, altare
notant. ὄψειν sacrificare, suffire; βωμος a
במה. Matth. ZIMMERMANNVS laudatur.
§. 4. Altar, altarium. Altare unde dicatur?
Aliquando notat partem aræ, & libamina.
§. 5. Ara unde dicta? dissert ab altari, non
semper. Varro laudatur. אר comparatur cum
ara, hinc arab. Ara focus. Ara & focus dif-
ferunt, non semper. §. 6. Aræ dictæ, ansæ,
& cur? Ad aras precabantur, fœdus faciebant.
Berthaldi liber de ara laudatur. Altaria di-
cebantur mensæ.

§. 1. **N**omen מזבח, quod altari nostro,
æque ac exteriori, seu holocau-
storum in lingua sancta dari so-
let, verbum זבח, quod proprie est macta-
De 3 re

*re animal effuso sanguine, sive illud ad usum sacrum trahatur, sive ad quemcunque alium domesticum ***, radicem agnoscit, unde quo sensu de altari nostro, in quo sacrificia non offerebantur adhiberi queat, inter Viros doctos non sine causa disceptatur. R. *Salomon Ben Melech*, aliis jam adductus, & auctor non plane contemnendus, ut alibi docui, id fieri censet, ob adspersionem sanguinis sacrificii, semel in anno ibi peractam, in *מכרל ירי* ad Exod. XXX. Judice *Jo. HAMMIO* ara hæc sic dicta est, quod sacrificia imperfecta censerentur absque suffimento aræ interioris cap 1. §. 2. sed magis placet observatio *Joh. Phil. HEINII*, Antecessoris mei in munere Academico celeberrimi, cui hæc illius appellationis videtur esse causa, quod in utroque altari aliquid Deo gratum pararetur, & quod aliquid utramque inter oblationem intercederet convenientiæ. Utraque nimirum fumo elevabatur, & de utraque usurpatur VERBUM *הקטיר* Exod. XXIX. 18. XXX. 7. lib. 1. observatt. Sacr. cap. IV. §. 2. p.

** vid. *Dav. GSELLIVS* de sacrific. V. T. p. 22. *Jo Mich. DILHERRVS* tomo novo dissertatt. acad. p. 201. & *Henr. LAMPE* de prima ab altari sumpta ad *Jes. VI. 6. §. 3.* *Bremæ* 1730. Hinc nomen *זבח*, non modo victimam, sed etiam epulum, convivium, innuit, uti præter auctores modo excitatos docet *Cl. HAMEL* tom. 1. thesauri *Haf. Ikeniari* f. 1012

p. m. 43. *collect. novæ* quæ Hale 1716. (8) prodiit. His Viri docti cogitatis addo, usum nominis מִזְבֵּחַ latiore in causa esse videri, utpote quo *preces, eleemosyne, gratiarum actiones,* & alia emphatice in literis sacris insigniri solent, docente præter alios DILHERRO modo laudato; imo *suffitum* veteribus fuisse speciem *sacrificiorum*, suo loco uberius dicitur: hinc formulæ: *propitiare, libare, adolere, thura dare,* in sacrificiis locum habebant, vid. Ven. WALCHIVS comm. ad *Ovid metum.* lib. I. p. 43. & egregie omnino *Plautus,* *Comicus* ille insignis *Poen.* II. 1.

Quive ullum thuris granum sacrificaverit.

Cæterum מִזְבֵּחַ vi formæ locum, in quo sacrificia offeruntur, luculenter infert. vid. quæ de nominibus hujus generis dicta sunt in tract. de *mensâ facierum* cap. III. § 7. auctoribusque ibi excitatis addi meretur Cl. TYMPIVS tom 1. thes. Haf. Ikeniani f. 709.

§. II. A materia *aurei* altare hoc appellatur *aureum* מִזְבֵּחַ הָאֹרֶךְ Num. IV. 11. & ab usu *suffitus* in eo accensi מִזְבֵּחַ מִקְטֹרֶת Exod. XXX. 1. *thymiaterum suffitus,* ut TREMELLIVS vertit, seu quod *suffitui* adolendo inserviebat. מִזְבֵּחַ הַקְטֹרֶת cap. XXXI. fol. 30. col. 2. Denique Hebraeorum

orum Magistri dicunt מזבח הפנימי *altare interius*, in oppositione *exterioris*, seu *holocaustorum*, in atrio, quod in parte tabernaculi interiori, id est, in *Sancto*, locum haberet, sicuti vox פנימה in lingua hebraea de *interioribus penetralibus domus* & praecipue templi, adhiberi solet. vid. B. LAMPPIVS in eximio *commentario* ad Ps. XLV. *exercitat. XI. §. VI.*

§. III. Scriptores graeci altare dicunt θυσιασθιον a verbo θυειν, quod non modo *sacrificare*, sed etiam *adolere*, *suffire*, significat, imo *omnem oblationem*, quae Diis in *altari* offertur, involvit, prouti de sacris veterum ἀπογοις & εὐπυροισ promiscue usurpari solet. vid. Illustris *Ezech.* SPANHEMIVS ad *Aristoph. Plut.* f. 248. nec non celeb. *Jac. PERIZONIVS* ad *Alian. Var. Hist.* lib. IV. c. 21. & 28. ***. Eandem vocem Patres graeci frequenter adhibent, v. g. *Gregorius Nazianzenus*, *Gregorius Nyssenus*, *Theodoretus*, longeque plures, quorum loca sedulo annotavit *Godof. Vogtius* in libro de *altaribus veterum Christianorum*. cap. III. §. I

*** addantur *Alb. VOGET* orat. de *natalibus ad aram Jehovae non factis* p. 173. in notis, *Sam. Frid. BVCHERUS* *observat. critico-passionalium* dissert. V. cap. V. § 2. *Witreb.* 1720. & quae ipsam attuli in tract. de *panibus facierum* Part. II. cap. I. §. 2. p. 80. in notis.

§. i. cum quo conferri merentur *Steph. le MOYNE* in *variis Sacris* tom. II. p. 367. & *Matthias ZIMMERMANNVS* * in libro ad illud *Tertulliani: Fiunt, non nascuntur Christiani* Sect. II. p. 24. Ab aliis appellatur *Θυμιατριον*, quæ tamen vox usus latioris est, & mox altare *suffitius*, mox vero *thyrubulum* denotare solet. Utramque notionem vel ex solo *Josepho* adstruit *Jo. Fustus SONNESMID* dissert. de *thymiaterio sanctissimi* §. i. **. Nec omitti debet vox *Βωμος*, quam quidam a verbo *Βω*, quod est, *Βωωω*, *statuo*, *colloco*, quasi *statutus*, erectus, ac collocatus *Diis ad sacrificium vel sacrificandum*. Super eo namque ponantur *victimæ*. Vel etiam *παρὰ το Βωωω*, h. e. quod *super-veniat in eum sanguis*, derivant. vid. *Jo. Phil. PFEIFFERVS* *antiq. græc.* lib. i. cap. 37. p. 78. magis vero placent alii, qui ad verbum *במה* *altum esse referunt*. Certe Interpretes *Alexandrini* vocem *במה* nunc *Βωμοι* nunc *ψνδα* interpretari solent, observante *Jo. SPENCERO* in libro de *legibus Hebræorum* rittua-

* *Vir in antiquitatum auri-fodinis exercitatisimus* iudice *Jo. FAES* in *ohelo peregrinitati communionis Phil. Jo. TILEMANNI* fixo. p. 134. *Bremæ* 1694. (8)

** vid. quoque *Jo. D. OVTREIN* comm. ad *Hebr. IX. 4. Museum Brem.* tom. II. p. 6. & tract. *meus de panibus facierum*. Part. I. p. 53.

tualibus lib. II. cap. VIII. f. 325. *** Ratio appellationis illius hæc est, quod altaria veterum *non exiguae* essent *altitudinis*, unde in ipso templo Hierosolymitano Sacerdotes per *gradus* adscendere debuerunt, ut taceamus altaria Deorum *superorum* apud gentiles, quæ miræ interdum *altitudinis* fuerunt, conf. *Christianus* BRUNINGIVS, Theologus hodie in Academia *Heidelbergensi* inclytus, in *compendio antiq. græc.* cap. XXI. §. 16. in notis. Interim usus vocis *βωμος* in scriptis Patrum rarior est; saltem de *altaribus Christianorum* eam usurpatam, se legisse non meminit Cl. VOIGTIVS loco supra citato, licet in aris gentilium designandis nihil eâ sit frequentius, quod posterius vel ex solo *Clementis Alexandrini* testimonio confirmare possam, qui *aram Deli* vetustissimam *βωμων* binis vicibus appellat. Locum ejus integrum dat laudatus le MOYNE, alia licet occasione, ad quem lectorem remitto.

§. IV. Latini appellant *altare*, vel etiam *altar* abjecto e, sicuti apud *Prudentium*

*** addi velim Cl. DVPORTVM ad *Theophrasti characteres ethic.* p. 464 *Tob. ECCARDVM* de *templo Cappadoc. Cumano* p. 5. & cel. *Joh. Phil. CASSELIVM* in *ipsis his symbolis liter.* T. I. p. 144. seq. Quod autem SPENCERVS ibidem contendit, *ⲁⲗⲗ* ad altare notandum usurpari *Jer. 48. 35. & Ezech. 16. 16.* paucis omninò persuadebit.

tium & alios occurrit, nec non *altarium*, qua voce AMBROSIVS, HIERONYMVVS, alique Ecclesie Doctores magni uti solent. vid. præter FABRVM in *lexico*, Adrian. TVRNEBVS *adversar.* n. 636, & Victor GISELIVS comm. ad *Prudentium* p. 453. Etymon quod attinet, quidam ab *alendo*, quod ignem alet, alii ab *ardore*, alii aliunde *altare* dictum volunt, sed magis placent, qui ab *altitudine* altarium (de qua infra uberius) originem ejus derivant cum BECMANNO, MARTINIO, aliis, apud Godofr. VOIGTIVM cap. i. §. 6. *. Partem quandam aræ, quæ nimirum ei imponebatur, etiam olim dictam fuisse *altare*, observat Cl. TVRNEBVS n. 608. p. 375. a. edit. *Aureliopolitane* 1604. imo fuere, qui ipsa *libamina* in aram infusa *altaria* vocarent, origine omnino obscura, nisi forte, quod *ex alto* infunderentur, unde dictum a Poëta:

- - - *paterisque altaria libant,*

*e Pontificiis fortasse indigitamentis, quorum
mysteria nobis perierunt, iudice Justo RYCVIO*

* Ita etiam judicant Jo. SPENCERVS in libro de *legibus Hebræorum* f. 325. Bernh. LAMY de *templo* f. 441. Jo. d' OUTREIN lib. II. *emblem. Sacr.* p. 269. SAGITTARIVS *natal. Martyrum* cap. IV. §. 9. & nuperrime doct. CASSELIVS in *observatt. de variis Elephantis denominationibus*, insertis *symbol. lit.* tom. I. p. 144, in notis.

QUIO comm. de Capitolio Romano p. 428. sq. Lugduni Batav. 1669. (8)

§. V. Ab altari distingui solet *ara*,
 cujus originem VARRO, *doctissimus Romanorum* iudice RYCQUIO, ** vel ab *area*
 repetit, quam *puram* esse oportet: vel ab
ardendo, ob sacrificiorum ignes, qui in iis
 fiebant, apud *So. SARTORIVM* in sche-
 diasmate de *hypocrisis gentilium circa cultum*
Deorum cap. II. §. 30. ***. Saltem quidam
 cum *Isidoro & Servio altaria solis superis, a-*
ras vero superis & inferis vindicant. Inte-
 rim discrimen hoc non semper obtinet,
 sed longe sapius voces illæ promiscue u-
 surpantur apud *Virgilium*, aliosque, quo-
 rum testimonia sedulo collegerunt præter
 Ju-

** Similiter AVGVSTINVS *Varronem* inter *do-*
ctissimos sui seculi homines lib. XXII. de *civit. Dei*
 cap. 15. collocat, uti cum CVJACIO interpretatur
Leonh. COQVEVS, commentator ejus doctissimus,
 apud *Henr. OPITIVM* dissert. de *statura & atate*
resurgentium §. 3.

*** Vocem אֵרָא, quæ est ex אֵשׁ ignis, cum lat.
ara se subinde comparasse *Campegius VITRINGA*
 scribit in comm. ad *Ies. XXIX. 2.* tom. II. f. 140. a.
 imo ab eadem voce אֵרָא *Matth. HILLERVS* dedu-
 cit arab. אֵרָא *Era*, quod, teste *GOLIO*, *focum*
denotat, vel quemvis locum, ubi accenditur, alicur,
vel fovetur ignis, in syntagm. hermen. p. 297. sed
 de his vocibus alios altius cogitare, cum laudato
VITRINGA facile patior,

Iustum RYCQVIVM *Jo. Andr.* BOSIVS disert. de *ara Dei ignoti* cap. I. §. 2. & *Jo. Phil.* PFEIFFERVS *antiq. græc.* p. 78. Eadem distinctio non observari videtur ab *Ovidio metam.* lib. V. v. 36. 37.

- - - nisi post altaria *Phineus*
Isset; & (indignum) scelerato profuit ara,
iudice Cl. WALCHIO ad hunc locum. Similiter inter *aras* & *focos* differentia fuit insignis unde *Sallustius*, *Livius*, alii utramque vocem non raro distinguunt; aliquando tamen *focum* pro *ara* usurpari abunde constat. Eximius plane est locus ille *Nasonis* *metam.* lib. IV. v. 752. sqq.

Dīs tribus ille focos totidem de cespite
ponit,
Levum Mercurio, dextrum tibi, bel-
lica Virgo:

Ara Jovis media est,

ad quem legi meretur WALCHIVS modo laudatus.

§. VI. *Aras* denique ab antiquis *ansas* dictas fuisse, ex *Varrone* & *Macrobio* *Viri docti* * jamdudum observarunt. Sed omni-

* nominatim *Jo. DOVGTÆVS analect.* V. T. p. 69. *ALMELOVEENIVS opusc. sacr.* p. 50. *Jo. Phil.* PFEIFFERVS p. 82. & *Elias SCHEDIVS* in libro de *Diis Germanis* cap. XXV. p. m. 355. edit. Amstelod. 1648. (8)

mnium luculentissime Bernh. LAMY, qui in libro de templo hierosol. f. 949. hæc habet: „Mos erat apud Ethnicos, aras suas, tangere, quoties juramento quidpiam affirmabant, vovebant, pollicebantur etiam dum preces fundebant.

Talibus orabat dictis arasque tenebat.

„Quæ consuetudo his verbis exprimitur a Macrobio lib. 3. cap. 2. Saturnalium: *Litere non potest sola oratio, nisi & is, qui Deos precatur, & jam aram manibus apprehendat.* „Inde aras dictas putant quasi ansas: aut in illis ansas agnoscunt, ut Servius ad quartum Aeneidos. *Necesse, inquit, erat ansas a sacrificantibus teneri, quod nisi facerent, grata Diis sacrificatio non esset, ut ibidem adstruit Macrobius, & allegat Varronem, qui divin. lib. quinto dicit, aras primum ansas dictas, quod esset necessarium a sacrificantibus eas teneri. Ansis autem teneri solere vasa quis dubitet? Commutatione ergo literarum aras dici ceptas, ut Valesios & Fuscos dictos prius, nunc Valerios & Furios dictas. Ergo aræ derivantur ab ansis, quod qui precarentur, aræ angulos quasi ansas apprehenderent. Sicuti nimirum alio ex ritu, quo fœdera ad aras pangebant, testium nomine eas compellare consueverunt, teste Petro*
BER-

BERTHALDO in libro ** de ara cap. XVI. apud *Fo. Georg.* ABICHTIVM in notis ad R. *Esaie* commentarium in *Josnam* p. 40. qui posterior simul observat, esse Judæos, qui verba cap. XXII. 34. libri Josuæ inserta voce *ꝛ testis*, sic explicant; & vocarunt filii *Ruben* & *Gad* altare illud *ꝛ testem*, quia *testis est inter nos, quod Jehovah sit Deus.* ***.

** Ob præstantiam singularem tomo VI. *antiquitatum Romanarum* inserto, quem, aras *Romanorum veterum* a Christi nomine alienorum potissimuma persequentem, librum *doctissimumi Fo. Alb. FABRICIVS*, quondam grande orbis literati decus, in præfat. *Godofr. VOIGTII* libro de *altaribus Christianorum* præmissa, recte appellat.

*** Nec omitti hoc loco debet, *altaria* apud Judæos, Christianos & gentes, nomen *mensarum* gessisse, qua de appellatione uberius egi in tract. *demensa facierum* cap. I. §. 2. auctoribusque ibidem excitatis addi debet. B. ZELTNERVS in *thesauro Hasæo-Ikeniano* tom. I. f. 934. sq.

CAP. II.

DE

MATERIA ET FORMA

ALTARIS AVREI,

NEC NON DE CORNIBVS, TECTO ET
RELIQVIS EJVS PARTIBVS.

ARGVMENTVM,

§. I. **M**ateria altaris sufficit aurum purum & lignum Sittim. Apud gentes

tiles materia diversa. Altaria aurea quoque
 habuerunt, ut & Christiani. Auro obducta
 tantum erant. §. 2. Forma in genere indica-
 tur. §. 3. Crassities auri quanta? Denarii
 crassities & latitudo Judæis proverbialis est. Au-
 ram templorum venerationem in generare puta-
 batur. §. 4. Altaria Jud. & gentium quadra-
 ta. Mensura nostri quæ? Superiorum magna &
 alta erant, inferiorum humilia. In locis altis &
 montibus exstructa. Pyramides Solis altaria.
 Excelsa gentilium figuram pyramidalem habue-
 re. §. 5. Vox קַר late patet, sicuti & græcæ
 κερας . Variæ sententiæ de cornibus altaris re-
 censentur. Sunt columnæ ex angulis IV. pro-
 deuntes. Cornua non contorta. Petrus de HA-
 SE laudatur. SVREHVSIVS notatur. §. 6.
 LVTHERVS notatur. Cornua ex eadem cum
 altari massa parata. Eorum forma quæ. Lo-
 cus Zach. IX. 15. memoratur. §. 7. Altaria
 gentium cornibus instructa, imo integra cornea.
 Jo. DOVGTÆVS notatur. Gravius peccat
 Jo. SPENCERVS. A variis refutatus. Ara
 Deliaca. §. 8. Vocis אָר radix arabica, & si-
 gnificatio varia. Tecta in Oriente plana. עֹרָא
 craticula, focus, ara. Tectum altaris planum,
 non craticula. HAMMIVS aliquoties lapsus
 est. מִכְבֵּר quid notet, disputatur. ב & כ , א ,
 ג , & ז inter se permutantur. In textu S. ne
 litera quidem mutanda. §. 9. Vocis קִיר ra-
 dix & notio varia. קִיר ædificare, reparare.
 Voces antiquæ Cair, Caer, Cer, illustrantur.
 Usts

Usus parietum altaris quis? §. 10. Reliquæ altaris partes, limbis, annuli & vectes memorantur. Sed de his jam alibi actum est uberius.

§. 1. **M**ateria altaris aurei ex testimonio Spiritus S. fuit *aurum purum & lignum Sittim*. Exod. XXX. 13. De utroque plura attuli in tract. de mensa facierum, cap. II. integro, unde, quæ hoc de argumento difficili observari merentur, repeti possunt. De ligno illo nonnulla quoque habet Jo. DRUSIVS in adagiis Ebraicis decur. III. n. 4. *bibl. critic.* tom. VI. f. 1896. *Aurum* verò idem fuit cum auro lychnuchi, aliorumque vasorum sacrorum, cujus מכלות perfectiones II Chron. IV. 21. memorantur. De ipsa hac phrasi מכלות, והה quæ *massam purissimam* innuit, vid. Franc. WOKENIVS in *pietate critica* de hypallagis p. 18. Apud gentiles *diversa* valde altarium fuit materia, cespites nimirum congesti, cornua animalium, ligna, lapides, cineres sanguine sacrificiorum subacti, & quæ alia. Ex *metallis* etiam parata fuisse, satis constat, unde apud Philostratum *ænea*, apud CVRTIVM *argentea* memorantur. Neque ipsa *aurea* iis ignota fuisse, quale fuit illud *Midæ* Jovi Idæo consecratum, teste Plutarcho; nec non *Babyloniorum*, in quo solas hostias lactantes

T. II. P. III. E e offera

offerre solebant, referente *Herodoto* apud Cl. BOSIVM loc. cit. §. 5. * *Aureum* quoque in honorem Apollinis erexit *Cresus*, mille lateres, *totos aureos*, eum in finem in *Delphos* mittens vid. Jo. TZEZES ** apud Phil. PICINELLVM, Italum doctissimum, in *luminibus reflexis* f. 211. b. edit. *Francof.* 1602. fol. Similiter *Christiani* veteres altaria *aurea* interdum habuerunt, quale fuit *illud Pulcherie*, *Arcadii* filia, *Theodosii Sororis*, *Ecclesiae Constantinopolitane* consecratum, teste SOZOMENO *Hist. Eccl.* lib. IX. cap. I. nec non aliud tempore *Henrici IV.* in *Ecclesia Ratisbonensi* ex marcis auri septem & sexaginta paratum, de quibus conferri meretur Cl. VOIGTIVS cap. VI. §. 8. qui tamen ex libro *Pontificali* non male colligit, fuisse potius *lamenas aureas*, in modum altarium ita fabrefactas, ut ipsa altaria *lapidea* vel *lignea* iis ceu veste circumdarentur. Forte huc etiam referri poterit *mensa sacra* ex auro, ligno & aliis pretiosissimis à *IUSTINIANO* Imperatore confecta, atque ad S. coenae celebrationem in *Ecclesia S. Sophiae* dedicata, de qua vid. tract.

* Alia dabunt *Ezech.* SPANHEMIVS observat. ad *Callimachum* p. 97. & Ven. Anton. de CVYPER disert. de Deo ignoto *Atheniensium* p. 9. *Bremæ* 169.

** Scholiastes ille *Lycophronis* eximius, de quo in *catalogo plagiariorum* nonnulla nuper attuli.

de Altari aureo tabern. ejusq. &c. 419

tract. de mensa facierum cap. II. §. ultimo.
& Sam. Bochartus hieroz. Part. II. lib. VI.
cap. XVI. f. 885.

§. II. Ad formam altaris quod attinet;
fuit unius cubiti in longitudine & latitudine,
duorum vero in altitudine; quatuor
præterea cornibus in summo IV. angelorum
instructum, nec non tecto, cui prunæ ex
vasculo effusæ imponebantur. Addi de-
bet limbus, qui circumquaque illud orna-
bat, ut & annuli duo aurei, lateribus ejus
affixi, per quos immittebantur deinde ve-
stes, ut a levitis eò facilius portari posset.
Quæ singula uberius nunc deducenda!

§. III. Crasfitiem auri, quo altare hoc
obductum fuisse legitur, codex S. non de-
terminat. Æque tamen illud ac alia vasa
sacra v. g. mensa facierum in Sancto, nec
non arca fæderis in Sancto Sanctorum,
non tenui deauratum fuit chrysite, sed
crasfioribus auri optimi laminis obductum,
uti ex ingenti auri summa quæ vasis taber-
naculi conficiendis inservit, nec non ex
emphasi verbi צפף tunc colligitur, conf.
tract. de mensa facierum cap. II. §. 4. Num
vero crasfities illa præcise fuerit denarii
aurei, ut judæorum Magistri in Gem. Eru-
vin f. 19. 1. & in Gem. Chagiga f. 27. 2. qui-
dem contendunt, vid. Hadr. RELANDVS

antiq. sac. cap. V. §. 10. & in notis ad *Joseph. antiq. jud.* lib. III. cap. VI. §. 8. P. 1. f. 137. edit. *Havercamp.* non certo constat; imprimis cum & hac via crassities auri nullo modo exacte satis determinari queat. Imo verum ut fatear, locutio mihi videtur *proverbialis*, hominibus judæis maxime usitata, quâ crassitiem non exacte certam indicare voluerunt, sicuti etiam alia occasione per *latitudinem denarii* spatium aliquod *exiguum* ex primere solent. Certe posterior *Denarii* usus luculenter patet ex Hebræorum proverbio satis noto: *מלעיל כסתרה מלרע* id est, *ubi in tecto foramen est, tanquam denarius ibi in fundo lumen est tanquam stater*, apud Rev. *Frid. Bernh. DACHSIVM* ad Codicem *Succa* p. 18. Prior vero eorundem ex effatis pariter evincitur, dum non modo *altari* nostro crassitiem denarii aurei tribuunt, sed etiam *asseret* illos ex quibus parietes tabernaculi constabant, *auro* tectos fuisse colligunt *denarium crasso*, observante *Jo. Godof. LAKEMACHERO*, ornamento quondam *Academiæ Julis* insigni, Part. VII. *observatt. philologg.* observ. V. §. III. in fine. Cœterum eadem videtur fuisse conditio altarium apud *gentiles & Christianos*. non enim ex solo auro confecta, sed *laminis aureis* tantum obducta *** erant. Respectu Chri-

*** sicuti etiam *tecta & parietes* templorum laminis aureis vestire solebant, ut nimirum admirando hoc au-

fianorum consentientem habeo B. VOIG-
TIVM, uti supra §. 1. hujus capituli jam
monui.

§. IV. *Formam* altare hoc habuit qua-
dratam, in reliquis Sanctuarii vasis quo-
que conspicuam. Exod. XXX. 2. & R. Mo-
ses MAIMONIDES in בית הכזירה c. 3.
altare suffitus quadratum
erat; sicuti etiam postea gentiles ex qua-
dratis altaria extruxerunt. vid. Sam. PITIS-
CVS comm. ad Curtium p. 715. quale mo-
numentum, ex quadris lapidibus extru-
ctum, in petra quadam, vulgò Todten-
Stein dicta, se vidisse, testatur Sam Frid.
BVCHERVS observatt. critico-passion. cap. V.
§. 8. Longum vero & latum fuit unum
cubitum אמה על אמה, ut R. MAIMONI-
DES loco modo citato scribit, altum du-
os, ut cor adstantis ei & suffitum adolentis
Sacerdotis summitate sua attingeret. vid.
ABARBANEL apud Cl. HAMMIVM Part.
I. cap. III. §. 1. & Alb. VOGET orat. lau-
data p. 66. Cubitum quinque palmorum
ex traditione judæorum intelligi debere,
ex Gemara מנחות f. 97. 2. abunde constat,
sed de hac re, ut & de diversitate cubito-
rum in tract. de mensa facierum cap. III. §. 2.

E e 3 plu-

auri fulgore venerandam religionis majestatem ac-
cessuris iugenerent, uti OLAVS magnus apud
PICINELLVM loco cit. testatur.

plura occurrunt, quæ heic loci repetere tædet. Apud gentiles altaria erant *ingentis altitudinis*, ita tamen, ut Diis *superis* celsiora, *inferis* magis depressa & humilia consecrarent. vid. *Jo. Phil. PFEIFFERVS* lib. I. cap. XXXVII. p. 81. & *Scholias* *Euripidis* apud *Jo. SPENCERVM* lib. II. de *legibus Hebr.* cap. VIII. f. 333. *. Sic *ara* quædam *Olympiaca* pedes duos prope & viginti alta fuit, teste *Pausania*. Alia *Syracusis* ab *Hierone* exstructa per *stadii* longitudinem excurrebat: *altitudo* autem & *latitudo* ejus *longitudini* erant congrua, memorante *Diodoro* lib. XVI. vid. *Jo. SPENCERVS* lib. II. cap. XXIII. f. 329. 454. *Campeg.* VITRINGA comm. ad *Jesaiam* tom. I. f. 492. & *Theoph.* AMELIVS ad loca V. T. Part. II. p. 1128. in notis. Hinc non rarò in locis sublimibus *aræ* exstructæ leguntur imò in ipsis *montibus*, apud *Apollonium Rhod.* lib. II. *Argon.* v. 524. cum quo conferri debet *Melanthes* in libro de *sacrificiis*, quem adduxit *Jo. WEIZIVS* in notis ad *Prudentium* p. 757. *Pyramides* *Ægyptiorum*, quas stupendæ altitudinis fuisse novimus, huc quoque non

* Rationem hujus diversitatis duplicem reddit *Cl. SPENCERVS*, partim ut *aræ* *variis* *Deorum* *suorum* *naturis* & *provinciis* convenirent, præcipue vero, quod *loca* *Diis*, quos *colebant*, *propiora*, *victimis* & *precibus* *offerendis* *aptissima* judicaret.

non malè refert *Christianus BRÜNINGIVS* *antiq. grec.* cap. XXI. p. 232. in notis, *Solis* altaria eas fuisse, doctè conjiciens. Certe excelsa gentilium figuram pyramidalem frequenter habuisse, ex aliquoties laudato SPENCERO f. 329. luculenter discimus, ubi de altari quodam *Mexicano* varia notatu digna occurrunt.

§. V. *Cornua* quatuor, quibus altare suffitus in summo quatuor angulorum ornatum erat, appellantur קרנרת a radice קר, quæ radiavit, *radius emisit*, propriè & primariò significat, unde קר *radius*, & quod radii instar ex capitibus animantium enascitur, *νερας, cornu, Horn, judice Jac. RHENFERDO, Viro inelyto.* Licet verò nomen קר *cornu* animantium stricte sic dictum denotet, non raro tamen, *oram, extremitatem rei*, designat, vel omne id, quod ex corporis alicujus superficie prostat, cujuscunque etiam figuræ sit, unde Doctores Hebræorum *altitudines* ab utroque panum sacrorum latere eminentes in קרנרת & alibi קרנרת dicere solent; conf. tract. de panibus facierum, eorumque mysterio Part. I. p. 29. fq. Interim cum vox illa sit usus latioris, quid in altari nostro & aliis per eam significetur, Interpretes docti dissentiant. Judice Jo. SPENCERO f. 676. fuerunt *curvaturæ, ad cornuum tauri vel arietis*

etis figuram factæ. Eadem sententiâ non displicet Fortunato SCHACCHO in *myrothecio*, Herm. WITSIO in *miscell. sacris*, & GOERIO ad *Cuneum*, Viris clarissimis; sed omni judæorum testimonio destitui sic sentientes, optime judicat Didericus JACOBSENIUS, hodie Theologus apud *Bremenses* clarissimus, in *dissert. crudita de adspersionibus Hebræorum* p. 142. **. Pro- vocat quidem SPENCERVS ad *Josephum*, Scriptorem judaicum, testem oculatum, qui *angulos γωνίας κεραιοειδεις* in cornuum formam protensos diserte ei vindicet, lib. VI. de bello judaico cap. V. sed vox græca *κραια*, æque ac hebr. קרן latius patet, sicuti ab eadem originem suam accepisse videtur, observante post *Gerh. Jo. VOSSIVM Jo. DOUGTÆO* in tract. de *calicibus eucharist. veterum Christianorum* p. 120. Hinc de *radiis Solis*, nec non de *arcubus*, *buccinis*, aliisque rebus haud rarò usurpari solet ***, imò *eminentias* quascunque *κραια* vocari, ex

** quæ sub præsidio celeb. *Conr. IKENII* publice ventilata fuit *Bremæ* 1725.

*** vid. *Ezech. SPANHEMIVS* observatt. ad *Callimachum* p. 66. *Hadrian. RELANDVS* in libro de *spoliis templi Hierosol.* p. 128. & *Petrus de HASE*, (de quo conf. *Satura Helvet.* Part. III. p. 435.) *dissert. II. de errore mystico caput & cincinnos Sponsi opplente Cantic. V. 2. p. 11.* quæ unâ cum priori sub præsidio *B. LAMPPII* *Ultraj.* 1727. lucem vidit.

ex *Hefychio* & *Eustathio David* MILLIVS, V. Cl. in differt. * de *cornibus altaris exterioris* p. 27. jamdudum monuit. Non magis feliciter alii *angulos* altarium intelligunt, hoc præcipue ducti argumento, quod *anguli* apud Hebræos קרנות dicantur, imò idem, quod זיזית designent. Ita BARTE-NORA & JOMTOPH apud Cl. HAMMIVM p. 14. & *Henric. LAMPIVM* differt. de *pruna ab altari sumpta* p. 9. Alia vero judæorum loca memorat MILLIVS modo laudatus p. 15. sicuti etiam p. 28. Interpretès Christianorum huic sententiæ suffragantes diligenter excitat. Sed vocem קר in literis Sacris nusquam *latus* notare, sed id, quod *protuberat*, quod *summum est*, atque in loco edito situm, recte monet Vir doct. *Jo. Engelhart STEVBER* in differt. ** de *ligatione festivorum ad cornua altaris* Ps. 118, 27. §. 10. Sunt denique, qui in primaria קר תוו significatione subsistentes, *radios* in quatuor altarium angulis sursum erectos indigitari censent cum *Conr. MELLIO* & aliis apud Cl. MILLIVM p. 27. Sed ne in a-

E e 5 lio-

* quæ sub presidio *Jo. Jac. QVANDTII*, Viri celeberrimi Regiom. 1714. prodit, & in *Hef. Ikeniano thesauro* recusa legitur.

** quæ tomo I. ejusdem *thesauri Hef. Ikeniani* f. 825. sqq. inserta extrat.

liorum sententiis recensendis nimis prolixus sim, ego calculum meum addo conjecturae illorum, qui *extremitates quatuor* ex altari protuberantes in angulis ejus intelligunt. *Bartenora* ad זבחי V. 3. dicit אמה על אמה כרום אמה! הנתן על ראש אמה על אמה שב המזבח בכל זווית הקרוי קרן *Cubum unius cubiti positum super altare in omnibus ejus angulis appellari cornu****. Columnas ergo ex quatuor angulis prodeuntes non male cum aliis appellat *Hemr. LAMPE* p. 10. cum quo conferri velim *Theoph. AMELIVM* ad loca difficil. V. T. tom. 1. pag. 539. & in notis. Num vero & contorta fuerint, sicuti de *cornibus altaris exterioris* judicat *Bernh. LAMY* lib. III. f. 439. hanc sententiam videri *ipso* cornuum nomine confirmatam, existimans, aliorum judicio relinquam. Ego id affirmare non ausim!

§. VI. Cornua hæc ex eadem cum ipso altari materia erant parata, nimirum ex ligno *Sittim*, quod auro purissimo obductum fuit. Neque aliunde petita, sed absque omni separatione ejus ex massa producta. Exod. XXX. 2. ממנו קרנתיו ex illo cornua ejus. Male autem *LV THERVS* vertit

*** non autem spatium cubiti quadratum, uti minus recte vertit *SVRENHVSIVS, JACOBSENIO* p. 142 idcirco notatus.

tit und zwei ellen hoch mit seinen hörnern, quasi videlicet altare nostrum unâ cum cornibus cubitos duos altum fuerit, cum tamen altitudo altaris tantum ibi memoretur, cornua autem ex ipso prodiisse, diserte dicantur. Rectius *Belgæ*: *uyt hem sullen sijne hoornen zjin, & Jo. PISCATOR: aus ihm sollen seine hörner (entspringen).* Ad di meretur versio *judaica*, quæ textum facrum non minus emphaticè reddit: *und seine horn-ecken sollen von ihm selbst gemacht seyn.* Conferri quoque debent cornua altaris exterioris, quæ pariter ex ipso altari confecta fuisse dicuntur *Exod. XXVII. 2.* קרנותיה ממנו תהיו קרנותיה *ex eo erunt cornua ejus.* Quæ verba *Mart. LV THERVS*, tautologiam fortassis aliquam subesse suspicatus, plane omisit, sed minus recte, cum absque ullo tautologiæ vitio tutissime jungi queant, ad indicandum videlicet, cornua altari adhæsisse, atque ex ipso prodiisse, observante *Cl. MILLIO* dissert. cit. p. 30. Cæterum cornua hæc, æque ac cornua altaris exterioris, non fuere *tecta*, sicuti plerumque pingi solent, sed *aperta*, atque ad palmi latitudinem formata, uti ex *Jarchio & Maimonide*, Doctoribus in gente *hebræa* celeberrimis, luculenter docet *Theod. DASSOVIVS* (*Cl. Wolffio* ad *Lundium* etiam laudatus) dissert. de *imagibus rerum hebræarum*, quæ *etate nostra circum-*
fe

feruntur. thesi XII. §. 1. Idem cum LVNDIO & CRAMERO confirmat Theoph. AMELIVS, Vir doct. his verbis : Die Hebræer schreiben einbellig, dasz es Pilaren, Pfeiler, oder Säulen gewesen, die über dem Altar an jeglicher der vier Ecken hervorgeraget haben, an Gestalt viereckigt, und gelöchert und ausgehölet - - dergleichen Säulen und Hörner auch oben auf den Rauch-Altar gewesen. Part. I. der erörterung locorum diffic. V. T. p. 538. *

§. VII. Gentilium altaria cornibus quoque variis instructa erant, imo integra ex cornibus animantium non raro parata, uti ex monumentis eorum facile constat. Testes hujus rei sunt ipsi nummi veterum, apud Guil. CHOVLIVM, in quibus altaria cornuta oculis nostris subjiciuntur. Eandem antiquitatem ex auctoribus fide dignissimis Ezech. SPANHEMIVS observat. ad Callimach. p. 82. sq. Jo. SPENCERVS in libro de legibus Hebr. f. 676. 680. & tot alii ** jamdudum probarunt. Fallitur autem
Jo-

* ubi ex structura *cornuum* altaris exterioris locum Zach. IX. 15. egregie illustrat, quod non minus erudite præstitit Gerb. von den BVSCH, Vir in studio propheticò versatissimus, in concione ad h. locum, quæ expositioni Pl. LXVIII. annexa legitur.

** Jo. DOVGTÆVS *analect.* V. T. p. 70. Jo. POTTERVS *archæolog. græc.* lib. II. cap. 2. Bernh. LAMIVS

70. DOUGTÆVS, Vir cæteroquin in studio antiquitatum egregie versatus, dum inter altaria hebræorum & gentilium hoc discrimen fuisse contendit, illa nimirum habuisse cornua, seu uncinos quosdam, ex reliqua altaris materia productos, eique affabre connexos, hæc autem ex cornibus simul contextis exstructa; nam & gentilium altaria, ex ligno vel lapidibus parata, cornibus taurinis conspicua fuere, prout ex *ara pacis*, aliisque exemplis Viri laudati luculenter docuerunt. Pessime vero pro more suo rem agit 70. SPENCERVS, existimans, Deum Israëlitis legem illam de cornibus altaris parandis tulisse, ut obviam iret *superstitioni gentilium*, qui cornibus innumeris altaria sua decorare consueverint, unde merito eum notarunt, ipsamque sententiam profanam graviter refutarunt Dav. MILLIVS p. 39. sqq. & quos ibidem excitat. Vir diligentissimus ***. Aliter & nervose admodum, Th. I. ab ALMELOVEEN judicat in *opusculis* p. 119: *Diu multumque animo revolvi, studione an casu gentiles vel minima illa, quæ in exstruendo alta-*

Vs de templo f. 439. & Dav. MILLIVS p. 73. sq: De celebri *ara Deluica* animantium ex cornibus exstructa vid. Cl. WILDE in *numism. select.* p. 52. & Interpretes ad *Callimach.* tom I. p. 41. p. 389.

*** Alios laudat Chr. Matth. PFAFFIVS in dissert. *Operibus Spencerianis* præmissa f. 9.

altari, & conficiendis ejus instrumentis observanda praeceperit Deus, fuerint imitati; nunquam tamen mihi persuadere potui, cum constet, eorum sapientiam ex Hebraeis & Aegyptiis originem ducere, haec omnia esse fortuita, verum e contrario, dixerim potius, studio omnia esse, quibusdam mutatis & transpositis, ne hinc desumpta viderentur, emulatione quadam expressa.

§. VIII. Pars altaris nostris superior appellatur אֲזִיז , quæ vox vi radicis arabicæ از , extendit, expandit, non modo *tectum**, sed etiam omnem superficiem emphatice designat. vid. præter Henr. OPITIVM in *lexico* & Jo. Frid. NICOLAI in *hodogetico Orientali harmonico Aug. PFEIFFERVS Opp. philol.* p. 415. nec non David MILLIVS *dissert. de testis ædium Hebræorum* §. 1. Ultraj. 1727. Interpretes Alexandrini vertunt עֲזָזָה , & Vulgatus *craticulam*, unde Jac. BONFREVIVS & alii, autoritate *versionis vulgate* turpiter decepti, *craticulam* altari nostro vindicare conati sunt **; sed minus recte, cum

* *tecta* enim in Oriente erant plana atque expansa, non ut hodie, in *culmen fastigiata*. vid. præter PFEIFFERVM Jo. Christoph. WOLFIVS in *curis crit.* ad Matth. 10, 27. & Bernh. LAMY f. 251. 616.

** Rectius Bernh. LAMY f. 394. rejecta *versione vulgata* per אֲזִיז *summam superficiem altaris*, eamque

cum illud \aleph fuerit *tectum solidum & planum*, quale nimirum prunæ in ipsam altaris superficiem effusæ, nec non ipse suffitus in eas injectus, qui cum esset tenuissimus, plurimam saltem partem facile decidisset, imo decineratio altaris sollicitè instituta, omninò postulabant. vid. præter LVNDIVM f. 132. celeb. *Comr.* IKEN ad cod. תמר p. 109. ***. Nec obstat ipsa versio *Alexandrina*, nam vox $\sigma\chi\alpha\pi\epsilon\iota$ non modo *craticulam*, sed etiam *focum* sæpe innuit, teste HESYCHIO, imo interdum ipsas aras, ut POLLVX lib. I. cap. I. bene observat. vid. *Gisbertus* (non *Joannes*, ut *Raphael Fabretius* vocat apud SCHVRFLEISCHIVM in *actis liter.* p. 52) CVPERVS *observat.* lib. I. p. 95. sqq. Non uno autem modo fallitur *Jo. HAMMIVS*, cujus ex sententia *foculus altaris nostri talis naturæ fuisse videtur*, ut

que *planam*, intelligit. Eandem superficiem intelligere videtur ex aliis *Cl. HAMMIVS*, sed mox sui oblitus *foculum altari vindicat*, a superficie illa distinctum, uti statim docebitur uberius.

***. Addunt quidam *tectum altaris nostri in S. S. dici* \aleph , *craticulam altaris exterioris vero מכבר*; sed de notione vocis posterioris multum disputari solet. vid. præter alios *Hadrian. RELANDVS* *disser.* de *silo rubro* p. 7. sqq. & *Jo. Phil. HEINIVS observ. sacr.* lib. I. p. 53. sqq. imo *Doctores hebræorum*, quando de superficie altaris holocaustorum loquuntur, non raro vocem \aleph adhibent vid. *R. Maimonides* & alii apud *MILLIVM*. §. 1.

ut ab ara amoveri potuerit, cum a cinere purgaretur, cum tamen decineratio altaris talem foculi remotionem neququam requireret. Præterea fingit sibi Vir doctus *foculum*, quem codex sacer planè ignorat. Testem hujus rei quidem habere se contendit oculatum, *Josephum*, Scriptorem rerum judaicarum gravissimum, qui super aram stetit *εσχαρην* antiq. jud. lib. III. cap. VII. scribit. Sed vel ipsam superficiem altaris nostri hac voce innuit *Josephus*, vel turpiter fallitur aliosque pessime fallit Scriptor judaicus, *Bernb. LAMIO* f. 394. in fine eam ob rem jam notatus. Denique errat non leviter *Cl. HAMMIVS*, ex antea dictis colligens, non אֵל , sed אֵלִים *thuribulum* ejus legendum esse, cum hic altaris *foculus* instar *thuribuli* fuerit, quod ab altari amoveri potuerit. Verum ipsemet non male addit, *hanc conjecturam forte esse audaciorum*, unde & ego illi subscribere nullo modo possum, sicuti celeb. *WOLFFIVS* ad *Lundium* n. 10. eandem jam impro-
bavit. Sic nodus secatur, non solvitur! *

§. IX.

* Licet aliàs haud ignarus sim, frequentem admodum esse apud Hebræos & Chaldæos literarum א & ד, nec non apud Græcos ζ & γ & χ inter se permutationem, cujus rei exempla satis multa *Sam. BOCHARTVS* in *geograph. Sacra* lib. IV. cap.

§. IX. *Tectō* jungi debent *latera* altaris, quæ קירות in textu sacro appellantur, a radice, quæ apud Arabes *circumvenit*, *circumdedit*, significat. vid. celeb. Jo. SIMONIS, nunc Professor in Ill. Lyceo *Halensē* dignissimus, in *arcano formarum* p. 130. unde קיר** proprie denotat *parietes*, & quidem tum *privatos* domus alicujus, tum *publicos*, seu *moenia*, quæ urbem cingunt, observante magno BOCHARTO Part. I. hieroz. lib. II. cap. L. f. 590. Hinc verbum קרקר, quod plerumque *vastare*, *exparietare*, reddunt, potius est *ædificare*, *struere*, *reparare*, sicuti jamdudum docuere Alb. SCHULTENS *observ. phil.* V. T. p. 78. sqq. & Cl. T. II. P. III. F f. HO-

cap. 17. f. 237. sqq. Jo. Jac. QVANDT dissert. de סגן seu Pontificis M. *suffraganeo* p. 7. sqq. & Hieron. van ALPHEN dissert. de *Terra Chadrach & Damasco ejus quiete* ad locum Zach. IX. 1. p. 40. sq. Ultraj. 1723. (8) diligenter collegerunt. Nec omitti velim *Salom.* GLASSIVM lib. IV. philolog. *Sacr. tr.* I. obs. III. p. m. 544. sq. edit. Amstelod. 1711. (4). In textu sacro tamen vel unam literam mutare, atque כ loco ג substituere, vel voces integras גג & כת inter se permutare, religioni mihi duco; unde Jo. Georg. ABICHTIVS V. Cl. versionem *Alexandrinam*, quæ loco כירוס Jos. X. 13. legerat כירוס, merito rejecit in *dissert. de statione Solis.* p. 30. Lips. 1713.

** Conferri meretur vox *Cair*, aut *Caer*, quæ *Anglo-Saxones* ex *Germania* in *Britanniam* profecta gens

HOHEISEL observ. ad *Jesaiam* p. 150. ***.
Usus parietum altaris nostri facile patet.
 Non quidem audiendus est *Bernh. LAMY*,
 quasi Moses eos paraverit, ne *cineres decidui*
per solum tabernaculi spargerentur; hunc
 enim usum parietes illi vix habuerunt: sed
 præstat ratio altera, ab eodem Doctore *Pa-*
risiensi adducta, ne videlicet *altare angu-*
stum, unius cubiti latitudinem habens,
everteretur, sed ut *parietum pondere firmius*
consisteret. Addo, parietes illos & hanc ob
 causam forte fuisse necessarios, ut formam
 altaris, non mensæ, haberet, sicuti & al-
 taria apud judæos & gentes *parietibus* suis
 cincta fuere; licet cæteroquin haud igno-
 rem, altaria etiam *mensas* appellari solere.
 vid. supra cap. i. §. ultimo, & alibi, jam
 dicta.

§. X.

gens, urbem appellant. Et veteribus Germanis
Caer aut *Cer* idem, quod Persis Armenisque *Certa*,
 urbem nempe significat. vid. quæ ex *Jac. USSERII*
comm. de Ecclesiarum Britannicarum primordiis ex-
 cerpsit *Marcus Lucius BOXHORNIVS* in epist. ad
Nic. BLANCARDVM in *analectis Thomæ Crenii* p.
 225. sq. Imo *Cair* & *mænia* & *urbem* mænibus cin-
 ctam denotare Britannis, eodem ex Viro illustri *US-*
SERIO docet summus *BOCHARTVS* *geograph. S.*
Part. II. f. 682.

*** add. *Interpres* ad *Nun. XXIV. 17.* & qui vel
 integris *dissertationibus* verba ejus ultima uberius il-
 lustrarunt.

§. X. Restat *limbus aureus*, qui altare nostrum cinxit, nec non *annuli quatuor*, etiam aurei, lateribus altaris non longe a limbo infixi, & denique *duo vectes*, ex ligno *Sittim* confecti, auroque obducti, qui, quoties iter faciendum, annulis immitti debebant, & quibus mediantibus Kahathitæ altare ipsum portare consueverunt. Sed cum hæc omnia ejusdem formæ fuerint & usus, qualem in *mensa sacra* haberunt, lectores meos ad tract. de *mensa facierum* p. 31. sqq. remitto. JOSEPHVS *vectes arce fœderis & altaris nostri* appellat *συνταλαδας*, sicuti *vectes mensæ sacræ* *σελες* dixerat; sed in textu Sacro *vectes* omnes □ vocantur, unde etiam ejusdem generis omnes fuisse, licet pro magnitudine vasis sacri, breviores, vel longiores, ex generali hac appellatione tutò colligitur.

CAP. III.

DE

SITV ALTARIS AVREI.

ARGVMENTVM.

§. I. **A**ltare erat in Sancto medio, aliquantulum tamen versus Orientem. Male versus Occidentem collocatur a Lamio, Ligt-
foto

Ff 2

footo & Lampio. Ligtfootus, ejusque horæ lau-
 dantur. §. 2. Consentunt Judæi & Christi-
 ani. In Sancto Sanctorum tamen collocant qui-
 dam. Augustini operum edit. optima. Que-
 stiones V. & N. T. spurie. Augustinus linguas
 hebr. & grecam non calluit, eas tamen ne-
 cessarias esse dixit. §. 3. Argumenta pro situ
 altaris in Sanctissimo refelluntur. Judæi di-
 cunt altare interius. Vocis רבך radix & no-
 tio. ארץ situm Occident. innuit. ארץ apud,
 prope, ante, e regione. C. Noldii concord. par-
 tic. laudantur. §. 4. Ebr. 9. 4. illustratur.
 Θυσιαστήριον h. l. non est altare. Paulus sepe
 sequitur LXX. Interpretes. Cur altaris menti-
 onem non faciat. Mosen & Josephum sequitur.
 Thuribulum die expiationis in Sanctum Sancto-
 rum illatum, & iterum elatum. Villalpandus
 plura thuribula fingit Jo. Bapt. dictus non
 Bartholomeus. Alius est Franc. Torreblancæ
 Villalpandus §. 5. Thuribuli materia & for-
 ma quæ? Aurum Parvaim unde dictum? Pre-
 tiosius viridi. Figuram calicis non habuit. A-
 lii indicatur. Ejus manubrium, hujusque te-
 gumentum. Raschius & Buxtorfius notantur.
 ארץ quod primò occurrit, pars superior. ארץ
 latissime patet. Manubrium notat. ארץ te-
 gumentum manubrii. Ex pelle vel aliunde pa-
 ratum, ne manus ureretur. In tabernaculo
 thuribulum inter vèctes arca fœd. collocatum,
 in templo secundo lapidi fundamenti impostum.

§. I. **L**ocus altaris nostri erat *Sanctum*,
 לפני הפרכת *ante velum*, Ex-
 od. XL. 25. quod videlicet,
 arcæ fœderis oppanfum, San-
 ctum Sanctorum a Sancto distinguebat
 Exod. XXX. 6. conf. *Salom.* DEYLINGIVS
observatt. sacr. Part. II. p. m. 559. & quidem
 è diametro arcæ fœderis, unde, ne ad me-
 ridiem vel septentrionem Sanctuarii, sed
 ejus in medio collocaretur, emphatice
 injungitur לפני ארון העדת *ante arcam te-*
 stimonii. Exod. XL. 4. Adeoque medium
 inter mensam & lychnuchum locum ha-
 buit, ita tamen, ut *Orientem* versus ali-
 quantulum protractum esset, teste *Raschio* a-
 pud *pl. Ven. Conr. IKENIVM* ad תמיד cap. VI. m.
 II. p. 108. * cujus rei rationem Doctores He-
 braorum hanc reddunt, quod Exod. XXVI.
 35. dicatur: *candelabrum ponas e regione men-*
sæ, ita, ut se invicem respicere debuerint,
 quod autem fieri neutiquam potuerit, nisi
 altare suffitus antrosum magis protractum
 largiamur. Falluntur ergò Interpretes et-
 iam magni nominis, qui altare hoc ver-
 sus Sanctum Sanctorum collocare solent,
 cum versus Sancti portam Orientalem col-
 lo-

F f 3

* & vid. 70. LVNDIVS *im jüdischen Heiligtümern*
 lib. I. cap. 23. §. I. nec non *auctores*, quos cap. XXV.
 §. 4. excitat,

locari potius debeat, eam ob rem recte notati *Theodoro* DASSOVIO in dissert. de *imaginibus rerum hebr. &c.* thesi XII. §. 2. Eundem errorem errasse deprehendi *Bernh. LAMIVM* lib. III. de *tabernac. Mos.* Sect. VI. f. 396. sq. cujus ex sententia altare hoc *ostio Sancti Sanctorum & arcæ* proximius fuit, imò, quod mireris, in *ipso ingressu Sancti Sanctorum* proficit: unde etiam audacter provocat ad judæos, nominatim *MAIMONIDEM* de *domo electa* cap. III. n. 17. qui dicant, altare illud tam præcise situm ad *ostium sancti Sanctorum* inter mensam & candelabrum & sic interpositum, *ut totum excederet.* Sed plane aliam esse mentem *R. MAIMONIDIS*, ex *DASSOVIO* supra laudato facile cognosces, unde *LAMIVS*, in scriptis hebræorum non satis bene versatus, ipsum auctorem vix inspexisse videtur. Lapsus quoque est *Jo. LIGTFOOTVS* (Vir cæteroquin magnus & infinitæ in *Talmudicis Rabbimicisque lectionis*, iudice *CARPOZOVIO* apud *Valent. ALBERTI* dissert. de *turri Eder* Sect. I. §. XI.) in *descriptione templi Hierosol.* cap. XIV. Sect. VI. Opp. tom. I. f. 586. scribens altare in medio fuisse, non exacte quidem inter mensam & candelabrum, sed paulò propius, quàm illa, adyto. Per adytum enim locum tabernaculi sanctissimum vulgò intelligi, satis constat, sicuti etiam *LIGTFOOTVS* noster intellexit, uti ex se-

sequentibus, & præcipue ex initio cap. XV. evidenter patet. Et licet Vir doctissimus in *horis hebraicis* (quas multis encomiis merito extollit *Jac. RHENFERDVS Opp. philol.* p. 261) ad Luc. I. II. *Opp. tom. II. f. 490.* locum ex *Babyl. Joma f. 33. 2.* insignem adducat, ubi altare thymiamatis positum in medio, protractumque pariter a liquidum versus Orientem recte dicitur, immerito tamen Cl. LVNDIVS ipsum BVXTORFFIO & reliquis, altare nostrum bene collocantibus, annumerat; dum enim Angelum a dextra altaris stantem non longe ab introitu in Sanctum Sanctorum stetisse, sibi persuadet, eo ipso altare nostrum versus Occidentem, non autem cum judæis versus Orientem, protrahere conatur. **.

§. II, In Sancto igitur altare nostrum situm fuisse, agnoscunt, quantum novi, Hebræi ad unum omnes, unde ad communem eorum consensum Cl. OPITIVS recte provocat. *Josephi, R. Maimonidis*, aliorum.

E f 4

** Ligtfootum secutus videtur B. Lampius, qui etiam altare nostrum non longe a velo Sanctissimi collocat. En ipsa ejus verba: *Der Stand-Platz des Rauch-Altars war tieffer ins Heilige, als der übrigen Stücke, recht vor dem Vorhang des Allerheiligsten. in mysterio fæderis gratie Part. III. f. 1300.*

rumque loca jam olim adduxi in tract. *de mensa facierum* cap. IV. §. 1.-3. sicuti etiam præter HAMMIVM, HOTTINGERVM, IKENIVM, & LVNDIVM, *Fo. Justus* SONNESCHMID, Vir doctissimus, in dissert. *de thymiaterio Sanctissimi* p. 4. fqq. non pauca diligenter collegit. Nec aliter plurimos Christianorum Interpretes in argumento hoc gravissimo judicare, facile constat. Certe *altare hoc in Sancto Sanctorum fuisse unquam collocatum, scribere audere quenquam hoc nostro seculo, & in tanta, qua fruimur, luce literarum, non credit* HADR. RELANDVS in libro *de spoliis templi Hierosol.* cap. XI. p. 120. Ex veteribus tamen Ecclesiæ Christianæ Doctoribus, quorum autoritas non plane nulla esse solet, varii *** Sancto Sanctorum illud vindicare conati sunt, & præcipue AVGVSTINVS in *quæstionibus ad Exodum* passim. *. Ast verum

*** nominatim ORIGENES, AMBROSIVS, CHRYSOSTOMVS, aliique, quos memorat *Salomon DEYLINGIVS observatt. Sacr.* Part II. n. XLVII. p. m. 558. Addi possunt alii, qui & olim & recentiori ætate hunc errorem errarunt, apud *Petr. ZORNIVM*, & reliquos, diligenter excitatos a doct. *Fo. Phil. CASSELIO* in commentat. exegetico-philol. *de gloria J. C. in regno gratiæ* ad *Jes. VI. 1-4.* Part. I. p. 12. in notis.

* Cui opera Doctoris hujus præstantissimi, quorum editio optima studio & cura monachorum *Benedict.* ex
com-

rum ut fatear, *questiones* illas V. & N. T. quæ *Augustino* plerumque tribui solent, spurias esse, vel saltem sæpius interpolatas, ex ipsa earum lectione, evidenter constat, unde quæ sententia AVGVSTINI fuerit, ex iis folis haud facile evincitur. Atque ne solus *Augustino* derogare eas videar, & alios Viros doctos idem sentire postea lætus deprehendi. *Fæctum spurium esse, & Augustino indignum, in confesso est, iudice B. LAMPPIO in prolegomenis doctissimis ad Job. lib. II. cap. VI. p. m. 251. in notis. Indignas quoque Augustino questiones dicit, easque sibi in gravioribus fidei causis non magni aestimari* feribit Jo. VORSTIVS in differt. rariori ** de sedibus episcopalibus primariis in veteri Ecclesia, præcipue vero de Romana §. 21. imo perperam hoc opus *Augustino* tribui, libere *** profiteretur summus BOCHAR-

F f 5

TVS

congregat. S. Mauri Antwerpæ A. 1700 - 1703. tom. XII. vol. IX. lucem vidit, ad manus non sunt, eum remitto ad *Berub. LAMIVM* f. 395. & *SONNESCHMIDII* diff. citatam p. 2. sq. ubi loca illa integra exhibentur, unâ cum argumentis, quæ pro ipsius sententia facere possunt, vel saltem videntur.

** quæ *Fenæ* 1648. sub præsidio Jo. Tob. MAJORIS publice ventilata est, & ob præstanriam singularem fasce I. *Thomæ Cremii* p. 63. sqq. meritò recusa legitur.

*** Alii dubitanter scribere solent: *si is quidem liber Augustini est, cum Jo. Bened. CARPZOVIO* disert.

TVS *geograph. Sacr.* lib. I. cap. XV. f. 54. Denique si *questiones* illæ opus Episcopi Hipponensis genuinum essent, ejus tamen auctoritas hac in re tanta non foret, ut in errorem ab ipso nos abripi pateremur, *linguæ enim hebrææ peritiam in eo fuisse nullam, græcæ perexiguam, Fo. DRVSIVS miscell. cent. II. n. 84. bibl. critic. tom. VI. f. 1995. recte* judicat: cum quo consentit Sam. BOCHARTVS, *hebraicæ peritiam Augustino defuisse,* scribens *geograph. lib. II. cap. XVI. statim ab initio; imo ob illius linguæ ignorantiam ipsum in Psalmorum enarratione ineptias habere PHILIPPVS MELANCHTON, Vir hebraicæ omninò peritus alicubi asserit. vid. Antonii MAVRICII, Prof. Genæv. oratio, quod Reformatio linguæ hebr. debeat, p. 478. collect. Kappiana. **

§. III.

fert. de *Chuppa Hebræorum* Sect. II. cap. I. §. XI. vel auctorem *questionum*, quæ inter opera Augustini reperiuntur in genere memorant cum Godof. VOIGTIO in libro de *altaribus veterum Christianorum* p. 147. 371. 381. & passim.

* quamvis ipsemet Augustinus alicubi recte statuat, linguæ latinæ homines ad Scripturarum cognitionem, *hebrææ & græcæ* lingua opus habere. Locum plane eximium ex lib. II. de *Doctr. Christ.* cap. 10. exhibet Jac. FACCIOLATVS in præfat. orat. de studio S. S. cum *veterum liuguarum studiis conjungendo.* p. 4. collect. Kappiana.

§. III. Argumenta, quæ sententiæ D. Augustini, & reliquorum, pro situ altaris nostri in Sancto Sanctorum frustra pugnantium favere videntur, sunt varia, v. g. quod altare illud fuerit לפני ארון העדות ante arcam testimonii Exod. XL. 5. quod dicatur לפני ארון המזבח אשר לדבור altare Sanctissimi i Reg. VI. 22. quod ipsemet Paulus, Vir Θεοπνευστος, in Sancto Sanctorum præter arcam fœderis fuisse χρυσοῦν θυμιατηριον altare aureum, scribat Ebr. IX. 3. Denique, quod eandem ob causam Doctores Hebræorum המזבח הפנימי altare interiorius in Foma & alibi appellare consueverint. **. Verum, si quis singula hæc dubia altius meditetur, facilis ad ea erit responsio. Quo sensu ante arcam fœderis collocatum fuerit, supra §. I. jam dictum est. Quod autem judæi altare interiorius dicere soleant in oppositione exterioris, seu holocaustorum in atrio, res ipsa loquitur, unde appellatio illa minime probat, quod probare putatur; conf. supra cap. I. §. 2. imo R. Joseph Karo in ה' בסורי seu comm. ad Maimon. המוקדשין

** Addunt Apoc. IX. 13. ubi altare aureum, collocatum dicitur εἰς ὄψιον τοῦ Θεοῦ coram Deo, vel ut Vulgatus: ante oculos Dei; sed phrasin hæc esse usus latioris, sicuti panes facierum coram facie Dei positi dicuntur, uberius docui in tract. de panibus facierum Part. I. cap. IV. §. 2. & in alio de mensa facierum cap. IV. §. 1.

המקורשן cap. II. §. 14. diferte hanc regulam tradit: כל היבא דקרינן אל הקדש קרינן לא ליה הפנימה היבא דלא קרינן אל הקדש לא פנימה קרינן *Ubicunque legimus aliquid pertinere ad, vel ducendum esse in Sanctum, illud vocamus interius, ubi autem non legimus aliquid ad Sanctum pertinere, vel afferendum esse, hoc non vocamus interius,* apud Rev. JACOBSENIVM in dissert. de *adsperfusionibus Hebraeorum* cap. 5. §. 26. Locum libri Regum quod attinet, vox רביר quidem *Sanctum Sanctorum* significat 1 Reg. VI. 5. 23. coll. II Paralip. III. 10. VII. 6 ארר *locutus est*, quia nimirum Deus consulentibus ex eo loco responsa dedit. Num VII. 89. vid. Christian. NOLDIVS in annot. ad *concordant. partic. hebr. chald.* p. m. 770.***. Vel a radice arab. *pone fuit*, unde *dobron postica* seu *postrema pars rei*; erat enim רביר tabernaculi & templi pars *postrema*, versus occidentem scilicet sita, quam *situs occidentalis* significationem radix arabica in specie habet, sicuti etiam hebr. אחרן *postremus* de situ *occidentali* passim usurpatur, observante

*** quem librum *concordantiarum* merito laudant Andr. ACOLVTHVS in tract. de *aquis amaris* cap. III. §. 30. in notis, & alii apud Thomam CRENIUM in praefat. fascis III. p. 39. unde etiam ipsemet NOLDIVS a Jo. DIECMANNO in dissert. ad Gen. XLIX. 70. tom. I. *thesauri Has-Ikeniani* 238. in notis, *Theologorum Danie sua alpha* recte appellatur.

te V. Cl. Jo. SIMONIS in *arcano formarum nominum lingue hebr.* p. 113.*. Sed particula ל voci רברר præfixa ita explicari debet, ut reliquis, quæ Moses de situ altaris nostri tradidit, non contrarietur, adeoque hoc loco, non est nota *genitivi* vel *dativi*, ut alibi hos casus indicare solet, quasi altare hoc in ipso adyto fuerit, sed potius significat, *ad, apud, prope, ante* &c. uti cum Jo. Andr. DANZIO recte monet Cl. SONNESCHMID §. 4. in fine; imo judæis aliquando idem esse, quod כננר è regione, testis est *Scholias*tes ad *Tamid* cap. IV. m. 1. cujus locum integrum *Dav. MILLIVS* disert. de *cornibus altaris exterioris* §. 21. alia prorsus occasione attulit.

§. IV. Longe majoris momenti autem est locus *Paulinus* Ebr. IX. 4. in quo *Sanctum Sanctorum* præter arcam fœderis *Σουιατρηγιον aureum* habuisse dicitur. Qui altare aureum, quod in Sancto fuit, hoc nomine indigitari volunt, vel, ut cum *Auctore Quest. in Exod.* illud in Sancto Sanctorum fuisse afferant, vel saltem, ut quo sensu Sanctum
San

* et hæc explicatio mihi magis arridet, quam illa, quæ vox רברר per metathesin posita putatur pro כררר *separatio*, q. d. *locus separatus & secretus*, a rad. כרר Samarit. *separavit*. vid. idem *Vir doctus in onomastico* V. T. Sect. II, cap. IV. p. 67. Halæ 1741.

Sanctorum illud habuisse dicatur, licet in eo proprie collocatum non fuerit, aliquatenus doceant, non uno modo sententiam illam adfructuere conantur. vid. *Jo. D' OVTREINIVS* in comm. ad hunc locum; imprimis autem duplici hoc argumento: α) quod *Θυμιατηριον* proprie altare suffitus denotet, sicuti etiam *Flav. Josephus* illud saepe appellaverit. β) quod, nisi altare hoc sub thymiaterio comprehendatur, *Paulus* ceteroquin illius planè non meminerit. Verum ad prius respondeo, usum vocis illius esse latiore. vid. supra cap. I. §. 3. unde ipsemet *Josephus* altare nostrum & thuribulum illud non raro eadem voce appellat. Præterea observari omninò meretur, Interpretes *Alexandrimos*, quos Apostolus noster in epistolis suis sapissime ** sequitur & præcipue in ipsa hac ad *Hebraeos* data, nec non ipso capite nono. vid. *Frid. SPANHEMIVS miscell. sacr.* lib II. cap. II. §. 15. *Opp.* tom. II. f. 251. altare nunquam *Θυμιατηριον* dixisse, sed semper *Θυμια-*

** vid. *Jo. Henr. MICHAELIS* dissert. de usu LXX Interpretum in N. T. & alii, quos excitat *Biblioth. Brem.* tom. VIII. p. 377. in notis, nec non *Hadr. RELANDVS* dissertat. miscell. Part. I. p. 76. sq. *Christian. NOLDIVS* annot. ad concord. part. p. 302. *J. C. WOLFFIVS* ad Hof. XIV. 3. §. 12. *WERMERS* tom. I. thes. Haf. Iken. f. 614. & tot alii. Passim per epistolas eos imitatur *Paulus*, iudice *Campegio VITRINGA* in addendis contra *Cl. PERIZONIVM* tomo I. observat. Sacr. annexis.

θυρίδιον τοῦ θυμιαματος, vel θυμιαστηριον χρυσεον
thuribulum vero, seu מקטרת, θυμιατηριον,
 uti Jo. OVTREINIVS, aliquoties jam lau-
 datus p. m. 564. eleganter observat. Ad po-
 steriorius, quod *Paulus* diserte subiungat, se
 de singulis agere nolle v. 5. sine dubio ad
 exemplum *Mosis*, qui de *mensa* & *lychnu-*
cho tantum agit cap. XXV. & de *altari* de-
 mum magno intervallo post, capite nimi-
 rum tricesimo. Nec male *Hadr. RELAN-*
DVS in libro de *spoliis templi Hierosol.* p. 121
 conferri vult *Josephum*, qui cum *Pompe-*
ium in Sanctum introducit lib. I. B. J. cap.
 V. vidisse eum narrat *lychnuchum*, *mensam*,
 & *vasa libatoria*, ac *acerras*, nulla facta *al-*
taris aurei mentione, quod tamen illic fu-
 it tempore *Pompeji*, non longe ante a *Ju-*
da novum fabricatum, teste ipso *Josepho*,
 qui etiam templum describens a *Tito* ob-
 fessum, prater *mensam* & *lychnuchum* in
 Sancto *altare* fuisse memorat. Denique
Paulus, de rebus, quæ in adyto ipso festo
 expiationis fuerint, acturus, vid. VV. DD.
 apud Jo. *Christoph. WOLFFIUM* in *curis*
critic. ad hunc locum, *acerram thuris* seu
thuribulum aureum necessario memorare de-
 buit, utpote, quod quilibet, cultum sa-
 erum in Sancto Sanctorum *die expiationis*
 animo suo attentè perlustraturus, primo
 statim aspectu inter vectes *arcæ Fœderis*
 collocatum animadvertit, *altare* vero in
 San-

Sancto collocatum omittere facile potuit, cum *suffitus*, die expiationis mediante thuribulo aureo oblatus, mentionem jam fecisset. *Θυμιατήριον* igitur a Paulo memoratum nihil aliud est, quam *thuribulum aureum* festo expiationis a Pontifice M. adhibitum, ut suffitum sacrum in Sanctum Sanctorum inferret; quod cum per totum fere diem inter vectes arcae foederis collocatum fuerit, huic nimirum usu solenni peculiariter inserviens, *Sanctum Sanctorum illud habuisse* merito asseritur. Nec opus est, ut cum *Jo. Bapt.**** VILLALPANDO plura fingamus thuribula, ex quibus unum in adyto annum per integrum fuerit, cum Doctores Hebræorum ad unum omnes illud *eodem die* iterum exinde elatum fuisse, luculenter tradant. vid. autores, qui hoc de *thymiaterio* uberius egerunt, §. V. mox memorandi, nec non præter *Lundium* f. 100. & LAMIVM f. 396. Cl. OPITIVS dis-

*** non *Bartholomæo*, prout EYBENIVS ipsum alibi vocat, idcirco notatus Joanni FAES in obelo peregrinitati communionis peregrinae Cl. Tilemanni fixo p. 70. Ne hic confundi debet cum cognato suo hujus cognominis Francisco Torreblanca, Prof. Granatensi inicyto, de quo, ejusque libro, quem de *magia* conscripsit, egregio vid. *Georg. Alb. AVTHING* dissert. de *Pygmæis* ad Ezech. XXVII. 11, p. 16, in notis Wittebergæ 1710.

differt. de candelabro Mosaico p. 47. sq. & *Salom.* DEYLINGIVS *observatt. Sacr.* Part. II. p. m. 560. inprimis p. 567. sqq. *.

§. V. θυμιατηριον hoc in Literis sacris, & apud Hebræos dicitur מִזְבֵּחַ, atque distingui debet a כֵּל seu *vasculo*, ex quo suffitus in thuribulum nostrum immittebatur; sed cum nomen illud & reliquis vasis, in altari interiori quotidie usitatis dari soleat, longe commodius infra cap. IV. de eo plura adferentur. *Materiam* nostri *thymiaterii* quod attinet, paratum illud erat ex *auro*, unde D. Paulus χρυσοῦν *emphatice* dicit, scilicet in *oppositione argenteorum*, quæ in *Sancto* quotidie adhibebantur. vid. celeb. DEYLINGIVS *observatt. Sacr.* Part. II. *observa.* XLVII. §. 13. Moses quidem neque argentum, neque aureum thuribulum die expiationis adhibitum memorat, ut recte quidem monet *Jom Toph* ad *Joma* cap. IV. m. 4. sed aureum tamen fuisse, cum Paulo nostro Doctores hebræorum unanimi consensu tradunt, & quidem, quod in specie additur, ex auro פְּרִיִם. Gem. Joma f. 45. a. sic dicto, uti quidem Talmudici apud SONNESCHMIDIVM, aliosque hariolantur, שְׂרֹמָה לְרֵם הַפְּרִיִם quod *juvencorum sanguini simile fuerit*, quamvis ego potius
T. II. P. III. G g

* add. WOLFFIVS ad hunc locum, & *Musenii Brem.* vol. II. §. I. n. I. §. 8. & 15.

tius, à loco ex quo ** videlicet peti solebat, illud appellatum fuisse, censeam cum Roberto SERINGHAMIO, Anglo eruditissimo, ad *Foma* p. m. 47. edit *Khenf. & Jo. Christoph.* WICHMANSHAVSENIO dissert. de *corona Ammonitica* §. 14. p. 66. sq. Witteb. 1720. in oppositione *auri viridis*, minus quidem pretiosi, sed *pretiosi* tamen, ex quo thuribulum quotidianum paratum fuisse, infra docebitur. Respectu formæ plurimi Interpretes fingunt calicem operculo tectum, eumque catenâ a collo Pontificis, Sanctuarium intrantis, suspendunt. Neque hæc *calicis* figura displicet *Herm. WITSIO*, *Petro IURIAEO*, & aliis, qui argumentis variis, ex autoritate versionis *Alexandrine*, nummorumque *Samaritanorum* petitis, eam adstruere conantur, sicuti etiam imagines ipsas ex *Aria Montano* & *Villalpando* sine examine descripserunt, iudice *Salom. DEYLINGIO observ. Sacr. n. XLVII. §. 12.* sed neutiquam thuribulum illud habuisse figuram *calicis* seu *poculi*, *Theod. DASSOVIVS* in *scholiis Criticorum ad Leviticum* coroll. IV. recte pronuntiat, & uberius eam examinarunt, atque feliciter de-

** quis vero locus ille sit, multum disputatur. vid. præter *Sam. BOCHARTVM* & *Frid. SPANHEMIVM Aug. PFEIFFERVS Opp. philol. p. 247. Christian. NOLDIVS* loc. cit. p. 749. & *Mart. LIPENIVS* dissert. de *Ophir* cap. I. §. 10. sqq.

destruxerunt *Georg. Frid. ROGALL* in dissert. de מרתה seu *thuribulo*. Regiom. 1724. §. 2. sqq. & pl. Ven. *Conr. IKENIVS* ad *Tamid* p. 29. sqq. Aliam certe figuram ipsum nomen מרתה, nec non usus hujus instrumenti, utpote quo mediante pruna excipi debuerunt, quod sane poculo vel calice fieri non potuit, ac circumstantiæ aliæ necessariò requirunt. Optime ergo R. *Salomon Isacides* ad Num. IV. passim, nec non R. *Ascher* ad *Foma* f. 91. 2. per מרתה intelligunt instrumentum quadratum vel oblongum, tres cabos continens, ex lamina tenui confectum, tribus erectis seu prostantibus marginibus (anticâ enim, qua pruna excipiebantur, caruit) instructum, nec non manubrio longo, quod tegumentum suum habuit, ne Pontifex M. thuribulo a prunis calefacto ureretur. *Manubrium* illud dicunt longum fuisse cubitum unum cum dimidio, ut videlicet brachium Pontificis M. sublevaret. *Foma* cap. IV. m. 4. nec non *Gemara* & R. *Maimonides* ad hunc locum; nam ad brachium usque infra pertingebat, ut illud adjuvaret, ut scribit R. *Ascher* ad *Foma* f. 91. 2. non autem in brachium suspendit, ut quidem existimat *Jo. LVNDIVS*, *CI. SONNESCHMIDIO* §. 15. eam ob rem meritò notatus. Tegumentum vero aliquod an in manubrio illo fuerit, non omnes largiuntur, utpote qui de ve-

ro vocis נִאֲשֵׁרֶתֶק sensu non parùm disceptare solent. *Raschius* ad codicis *Foma* locum citatum intelligit *annulum tinnientem*, quem Pontifex in capite habuerit, ut si Sanctum ingrediatur, sonus ejus audiretur; sed Doctor ille, cæteroquin non ineptus, tintinnabula aurea pallio Pontificis laneo appensa Exod. XXVIII. 35. pesfime confudit, unumque illorum capiti Pontificis imponere conatus est. Occasionem sine dubio dedit vox וַאֲשֵׁרֶתֶק, quâ caput Pontificis indigitari arbitrabatur, sicuti & alium errorem eodem ex lutulento fonte erravit *fo. BVXTORFFIVS*, Vir cæteroquin in his literis facile Princeps, vocem illam וַאֲשֵׁרֶתֶק ad Pontificem quoque referens, & *chirothecam* ejus per נִאֲשֵׁרֶתֶק significari existimans; sed cum *Raschio* fallitur Vir summus; nam non de *Pontifice*, sed de *acerrimo* sermonem ibi esse, ex affixo *foemino*, (non enim לָא sed לָהּ ibi diserte legitur,) facile patet. Præterea וַאֲשֵׁרֶתֶק hoc loco partem *superiorem* manubrii commode innuit, sicuti aliàs *id*, quod *primò* occurrit, *primos aditus*, *initia*, metaphoricè designat. vid. *Petrus Dan. HVETIVS* in tract. de *situ paradisi terrestri* cap. V. §. 3. *bibl. critic.* tom. II. *supplem.* f. 752. Denique *Cl. SONNESCHMID* magnum *BVXTORFFIVM* deceptum conjicit vocabulis יָד *manum*, & כִּירוֹתֶק *chirothecam* aliàs denotantibus; sicuti

ti enim ר , quod in SS. & apud Doctores hebræorum latisimi usus est ***. hoc loco non *manum* proprie sic dictam denotat, sed uti ex nexu integri loci Talmudici patet, *manubrium* thuribuli, sic ר ברת non est *chirotheca*, sed *tegumentum*, quo manubrium thuribuli inductum erat, ne manus Pontificis calore nimio læderetur, vel ut R. *Fose* scribit, quod clavo affixum erat, ad *Foma* f. 41. b. Neque fuit tegumentum *æneum*, sicuti Cl. BVXTORFFIVS chirothecam *æream* intellexit, sed ex pelle, vel alia materia sine dubio paratum, ne prunæ per longum temporis intervallum in thuribulo asservatæ illud penetrare, manumque Pontificis lædere ullo modo possent. vid. *Fo. Justus* SONNESCHMID in dissert. sæpius laudata; quæ *Wittebergæ* 1723. lucem vidit, §. 16. sqq. Cæterum thuribulum illud die expiationis solenni *duos inter vectes arce fœderis* collocabatur, sed in templo secundo, ubi arca fœderis cum aliis rebus sacris defuit, *lapidi* cuidam, tres digitos a

G g 3

ter-

***. plurimas ejus significaciones, etiam illam, quæ *manubrium* & *ansas* denotat, recensent *Christ. NOLDIVS* in annotatt. ad *concord. part. p. 871.* doct. *ERDMANNVS* de *monumento Absalomi* tom. 1. thes. Haf-Iken. f. 686. & *Olavus RYDBECKIVS* in *specimine usus lingue Gothicæ* in illustrandis obscurissimis SS. locis p. 26. conf. *Acta liter. Suecicæ A. 1720* p. 152. *Upfalicæ* 1720. (4)

terra alto, in adyto impositum legitur. vid. *Foma* cap. V. m. 2. & ABARBANEL ad legem, apud *Jo. Jac.* QVANDTIVM differt. de *Sagane*, Pontificis *M. suffraganeo* §. 22. & in *Museo Brem.* tom. II. p. 12. Alia loca, morem hunc egregie confirmantia, jam attulit *Theod. HASÆVS* tract. de lapide fundamenti, cui olim arca fœderis imposita fuit cap. I. §. 8. & §. 23.

CAP. IV.

DE

ALTARIS AVREI VSV ET FATIS

NEC NON

DE VASIS EJVS VARIIS

ARGVMENTVM.

§. 1. **U**sus altaris duplex. Prior ratione ad-
 2. 2. **U**spersionum sanguinis. *Levit.* 16. 18.
 altare interius intelligitur. *Aben*
Esra notatur. Adspersionum voces *varia*, *hebr.*
 & *græcæ*. *Gentiles* in altari suffitus primiti-
 arum & precum sanguinem non admiserunt.
Ara Deli celebris. *Clemens Alexandr.* laudatur.
 §. 2. Posterior ratione suffitus. *Decimeratio*
 altaris per quem & quomodo facta? Vocis *נֶדֶוּ*
 radix & notio quæ? *Vasculum Temi* describitur.
 Ha-

Habuit operculum. Saturni mensura Hebræorum. non pondus. Jonathan notatur. Conclave vasorum & locus cinerum. §. 3. Alius Sacerdos ignem petebat ex altari exteriori. In eo tres ignis foci. Alter suffitui adolendo privus. Judæis non omnis fides deneganda. Frustra aliter judicat Cl. HEINIVS. Interdum tamen nimis subtiles sum. Ligna ficuum in serue secunda tantum adhibita, sine ratione solida asserunt. Vas מִחֶתֶת quale? LXX varie reddunt. חֶתֶת ignem, prunas excipere, de notat. Quotidianam a solenni differebat, respectu materie, formæ & quantitatis. Aurum viride minus pretiosum erat, pretiosum tamen. Aurum virens apud Martialem adolebat. Vocis כֶּתֶת radix & notio quæ? Vasula כֶּתֶת & בִּזְכָךְ describuntur. מִשְׁוֹטֵהָ quid sit? §. 5. Fata altaris indicantur. Abscessio ejus in templo priori fabulosa. In posteriori altare suffitus; sed ad manus Titi non pervenit, unde in arcu ejus non conspicitur.

§. 1. **U**sus, quem altare nostrum in Sanctuario tabernaculi & templi utriusque habuit, erat duplex, tum ut sanguine interdum conspergeretur, tum ut suffitus quotidie in illo offerretur. Priorem quod attinet; varia fuere sacrificia, quorum sanguis super altaris tectum &

cornua in Sancto spargi debuit; hinc Apostolus discrete mentionem facit *animalium*, quorum sanguinis pro peccato eius *ra arya in Sancta illatus fuerit* Hebr. XIII. 11. Maxime solennis autem adpersio fiebat festo expiationis Exod. XXX. 10. & Lev. XVI. 18. quo loco posteriori R. *Aben Esra* altare *exteriorum*, seu *holocaustorum*, malè intelligit; nam de altari *interiori*, seu *suffitus*, sermonem ibi esse, Doctores judæorum & Christianorum ad unum omnes, nec non ipsemet *Aben Esra* ad Levit. XVI. 16. sui postea plane oblitus, recte agnoscunt. vid. *Dideric. JACOBSENIUS*, tract. de *adpersionibus Hebræorum* cap. V. §. 23. Et licet Deus Exodi loco citato jusserit, ut *semel* tantum quotannis adpersio sanguinis super altari hoc fieret, id tamen de *solemni* illa *adpersione*, quæ in festo expiationis peragenda erat, omnino explicari debet, non exclusis sparsionibus cæteris, quæ certis occasionibus sanguine sacrificiorum piacularem fieri solebant. Levit. IV. passim. vid. *Hadr. RELANDVS antiq. sacr.* Part. III. cap. I. §. 24. *Dideric. JACOBSENIUS* cap. V. §. 26. 29. & passim, *Wilh. Ern. EWALDVS emblem. sacr.* Part. I. exerc. X. §. 10. & *Jo. ab HAMM* Part. II. cap. II. p. 201. sqq. ut taceam *Jo. SAVBERTVM*, reliquos, qui de *sacrificiis & adpersionibus* sanguinis eorum super altare nostrum, legi possunt, ne in campum ni-

nis latum, & a scopo meo alienum expa-
 tiari cogar. Id unicum modo observari ve-
 lim, actus omnium adspersionum verbis
 פָּרַס, הִזָּה & הִזָּה in textu sacro exprimi sole-
 re, & ab Interpretibus Alexandrinis verti
 per ΕΚΧΕΙΝ, ΠΡΟΣΧΕΙΝ, ΠΡΟΣΕΚΧΕΙΝ, ΡΑΙΝΕΙΝ, ΠΕ-
 ΡΙΡΡΑΙΝΕΙΝ, ΤΙΘΕΝΑΙ, ΕΠΙΤΙΘΕΝΑΙ &c. unde facile pat-
 tet, verba illa esse latioris usus, omnesque
 innui adspersiones promiscuè, sive fiant
 ope *digiti*, sive mediante *adspergillo*, sive
 viâ alia. Plura qui his de vocibus earumque
 emphasi legere cupit, adeat *Jo. D' OV-*
TREINIVM tom. III. comm. in epist. ad
Hebræos p.m. 512. *Hieron. van ALPHEN* in
Hist. Pauli Apostoli differt. XVII. §. 7. & præ-
 cipue *JACOBSENIVM* cap. I. §. 5. sqq. *
 Cæterum sicuti Hebræi duplex altare ha-
 buerunt, *suffitus* scilicet & *holocaustorum*,
 ita apud gentiles; utriusque imago non
 obscura reperitur; *posterius* nunc non mo-
 ror, sollicitus tantum de *priori*, in quo il-
 lustrando diligentia mea qualiscunque ver-
 satur. Hanc tamen differentiam facile de-
 prehendimus, quod gentiles nullum sa-
 crificiorum sanguinem in altari thymiamatis
 admiserint, sicuti apud Hebræos non
 raro factum esse, paulo ante dictum est. Sic

G g 5

ci-

* add. *Jo. Henr. HOTTINGERVS* differt. de *duabus*
avibus leprosi p. 8. & *Sam. ANDREÆ* t. I. f. 915.
thesauri Hasæo-Ikeniani.

cives insulæ *Deli* habuere aram antiquissimam *solis odoribus* sacram, quæ fuit *αραιματος*, nec unquam *sanguine rubuit*, testibus CLEMENTE ALEXANDRINO, Virò in scriptis profanis versatissimo lib. VII. *Stromatum* **, CYRILLO & aliis apud Steph. le MOYNE *** in *variis Sacris* tom. II. p. 368. & *Jo. Mich. DILHERRVM* tom. II. *differati. acad.* p. 198. Similiter ad aras, in quibus primitiæ frugum offerèbantur, neque ignis, neque sanguis accedere debuit, observante *Ezech.* SPANHEMIO observat. eruditissimis ad *Callimachum* p. 491. sicuti etiam aræ Veneris Paphiæ, affundere sanguinem, vetitum fuit, referente TACITO *Historiarum* lib. II. cap. 1. apud *Christianum BRÜNINGIVM* in *compendio antiq. græc.* cap. XXI. §. 16.

§. II. *Posterior altaris nostri usus* hic erat, ut *suffitus* in eo quotidie a Sacerdotibus adoleretur. De ipsa *adolatione suffitus*
pro-

** unde Pater *πολυμαθεατος* audit. vid. quæ de eo nuper dixi in *catalogo plagiariorum* Part. I. Tom. I. *Symbolarum literar.* p. 72.

*** *cujus ex judicio ad eandem Deli aram allusit auctor aræ, quæ Dofadae vulgò tribuitur, his verbis, quæ latine tantum brevitatis causâ reperam: Non me sanguis victimarum tingit, quænam admodum sanguineis liquoribus imbuitur, vestis.*

prolixè alibi dicam, ubi de *suffitu Hebræorum* ex professio agetur. Nunc, qua ratione altare hoc a cineribus purgari, & ad adolationem illam rite preparari debuerit, breviter docebo. *Decimeratio* ipsa fiebat per Sacerdotem, forte secunda ad munus hoc destinatum, qui Sanctuarium ingressus, summo studio eam peregit. *Modum* ejus indicabo verbis tractatus *Tamid* cap. III. m. IX. utpote ex quo ipse R. MAIMONIDES, ab HAMMIO Part. II. cap. V. §. 2. & ante eum a Jac. MEIERO dissert. erudita de *suffitu Hebræorum* §. 53. jam adductus, alique sua hauserunt: מי שזכה בדרשן מזבת הפנימי נכנס ונטל השני והניחו לפניו והיה חופן ונותן לתוכו ובאחרונה כיבר את השאר והנימו נכנס ונטל השני והניחו לפניו. ויהיה חופן ונותן לתוכו ובאחרונה כיבר את השאר. *Cui obrigerat decimeratio altaris interioris, intrabat & sumebat corbem, ponebatque eam coram facie sua, tùm capiebat pugillo, illique (scilicet corbi) indebat, postea vero convertebat reliquum cinerem in medium ejus, eâque depositâ exhibat.* Unde luculenter discere licet, duplici Sacerdotem modo cineres altaris nostri congesfisse, tùm mediante *manu*, tùm *instrumento* quodam, huic usui peculiariter inserviente, seu *scopula*; postquam enim pugillo, quantum poterat, cinerum ceperat, reliquam everriculo propulit in vasculum. conf. R. JEHUDA lib. III. de *templo* cap. IV. §. 16. & *Hadr. RELANDVS* cap. VII. de *spoliis templi Hebræorum*.

rosol. p. 80. Vasculum illud aureum, quo cinis altaris hujus colligebatur, judæis dici solet כַּיִן, quod idem esse cum hebr. כַּיִן Deut. XXVI. 2. 4. XXVIII. 5. BARTENOR. apud pl. R. *Comr.* IKENIVM ad *Tamid* cap. III. m. VI. p. 63. judicat. Hanc vocem *ignotæ originis* esse, scribit doctissimus *Jo. SIMONIS* in *arcano formarum nominum linguæ hebr.* Sect. IV. cap. I. p. 240. sed conferri omnino merentur linguæ aliarum gentium, Arabum imprimis & Persarum, in quibus vox *Than* extensionem, magnitudinem, & sic porro significat, sicuti etiam apud Græcos eadem notio obtinet, docente *Theod. HASÆO* in tract. de *Leviathane Jobi & cetera Jonæ* cap. III. p. 95. sqq. *. unde כַּיִן erit *corbis*, imo in genere *vas magnum*, in quo aliquid asservatur. In *Tamid* cap. III. m. VI. *Teni* illud dicitur *simile fuisse vasi* כַּיִן תַּקֵּר seu *mensuræ magnæ aureæ trium Satorum* **, & *comprehendisse*

* Huc etiam accedere videtur germ. *Tonne*, judice *Jo. Frid. NICOLAI* in *hodegetico orientali harmonico* p. 321.

** De *Sato*, mensura Hebræorum, vid. auctores in tract. de *panibus facierum* cap. II. §. 7. p. 25. in notis jam excitati. Male *Jonathan* apud *Jo. DRYSIVM* ad Exod. XXXI. 18. ex mensura pondus facit, pondus tabularum legis quadraginta *sata* fuisse scribens, eam ob rem merito notatus V. Cl. *Jo. Christoph. WICHMANSHAVSENIO* disert. de *tabulis fœderis prioribus* Sect. II. §. 8.

disse cabos duos cum dimidio. Non tamen per omnia similitudo hæc intelligi debet, cum *Teni* nostrum non tres cabos, sed duos tantum cum *dimidio* caperet, uti ex BARTENOR. iterum observat Cl. IKENIVS ad *Tamid* p. 64. recte simul monens, cavendum esse, ne *Surenhusiana* versione decepti os angustum huic vasculo tribuamus, nam *canistrum oris lati* BARTENOR. discrete appellat, sicuti & ipsa *canistri* appellatio *os* *latius* omnino requirit. In כִּרְיָוֹ XVI. 7. mentio quoque fit כִּסְרִי seu *operimenti*, quo *Teni* illud tectum fuerit, notante Cl. RELANDO in lib. de *spoliis templi Hierosol.* p. 109. De *conclavi* autem, ex quo hoc & reliqua ministerii sacri vasa quotidie peti debebant, legi meretur pl. R. *Comr.* IKENIVS ad *Tamid* cap. III. m. 4. qui etiam de loco, בֵּית הַרְשָׁן Hebræis dicto, ad quem *cineres* altaris nostri & alia projiciebantur, ad cap. I. m. 4. n. 6. quædam attulit, nunc uberius non deducenda, ne nimia prolixitate lectori tædium pariam. ***

§. III. His peractis alius Sacerdos, forte non designatus, sed electus ab eo, qui suffiret. *Gem. Jomæ* 25, 2. apud *Hadr.*
RE-

*** Locum *cinerum*, aliaque huc spectantia concinne descripsit R. *Fehuda Leo* apud *Jo. Ann. CLEFFELIUM* dissert. de *expurgatione altaris* §. 18. p. 36.

RELANDVM Part. II. *antiq. hebr. cap. V.*
 §. 5. & BARTENORA ad *Tamid* cap. V. m.
 5. sumpto *κρυσσω* argenteo ascendebat;
 לראש המזבח. ופנה את הגחלים הילך
 ודורך וחתה מן המאכלות הפנימיות. ירד ועון
 זהב *in verticem altaris*, & *verrens*
prunas hinc inde, capiebat ex absumptis interi-
oribus, & descendens effundebat ea in κρυσσω
aureum. רמיר cap. V. m. 5. Eadem repe-
 tit R. MAIMONIDES in *hilchot Tmidim U-*
mus. cap. III. §. 5. *cujus locum integrum*
jam dederunt Jac. MEIERVS differt. de
suffitu Hebræorum §. 52. & Jo. HAMMIVS
cap. V. §. 3. Locus, ex quo ignis hic pe-
tebatur, secundum judæos erat strues se-
cunda altaris exterioris, suffitui in altari
interiori adolendo priva, e regione cornu
Noto-Zephyrini, adeoque altari interiori
proxima. Plures enim in altari exteriori
focos fuisse, Doctores hebræorum tra-
dunt, & pro tribus in specie MAIMONI-
DES aliique apud Jac. MEIERVM §. 52.
Hadr. RELANDVM Part. I. antiq. hebr. cap.
IX. §. 10. & pl. R. Contr. IKENIVM ad Tamid cap.
II. m. 4. fortiter pugnant; ac licet numerum
illum ternarium, quem a majoribus sibi
traditum asserunt, ex literis sacris (Levit.
VI. 2. 5.) frustra exculpere ausi sint, totam
tamen hanc judæorum traditionem vanis-
simam esse, pronuntiare nollem cum cel.
 HEINIO lib. I. *observ. sacor. cap. IV. §. 15.*
 cur

Cur enim rebus in domesticis fides eis habenda non sit, rationem video plane nullam cum *Hadr. RELANDO*, Viro in scriptis hebræorum versatissimo, cujus locum plane eximium jam ante aliquot annos adduxi in tract. de *lychnucho aureo*, ejusque mysterio cap. III. §. 2. Alia autem est ratio, ubi Doctores illi rem suam nimis subtiliter & absque omni veri specie agunt v. g. quando *ligna ficuum pulcherrima* ad disponendam *struem* nostram *suffitus* selecta fuisse tradunt in *Tamid* cap. II. m. 5. addita ratione, quam ipsemet *RASCHIVS* *subtilem* dicit, quia nimirum *היתה תקנה לארם* *fuit remedium* *Adamo primo* (quemadmodum scriptum est Gen. III. 7.) & *fecerunt sibi subligacula*. unde etiam *Cl. IKENIVS* eam recte rejicit, imo *miram*, & *judaico dignam ingenio* optime appellat. *Vasculum*, quod *prunas* ab altari exteriori petitas ad adolendum *suffitum* continebat, dicitur *Hebræis* *מחמתה*, teste *KIMCHIO* apud *SCHINDLERVM* in *lexico*. Interpretes *Alexandrini* reddunt *πυρρον* *ignitabulum*; sed cum iidem *Græci* variis in locis eodem ex *מחמתה* *μοισαμν* *mortariolum*, *επαρυσιν* *cadum* vel *vas vinarium*, imo *pelves*, *palas* & *ambitum altaris* imprudenter fecerint, docentibus *Ven. DEYLINGIO* observat. *Sacr. Part. II. observ. XLVII. §. 8.* & *Georg. Frid. ROGALL* in *dis-*
fert,

fert. eaudita de מרתה five *thuribulo*, ex *antiquitate judaica restituro* §. 3. quid proprie מרתה nostrum fuerit, ex versione illa minus feliciter colligitur. Nomen ipsum radicem agnoscit verbum חרתה, quod non accipere tantum, sed etiam *ignem vel prunas excipere* significat. Prov. VI. 27. & alibi, vid. præter modo laudatos *Jo. SIMONIS in arcano formarum* p. 476. & tract. de *lychnucho Mosaico* cap. IV. Materia ejus erat *argentum*. חמת cap. V. m. 5. Prunas mediante acerra *argentea*, ab altari excipi, & deinde in *auream* * effundi, in *Joma* cap. IV. m. 4. quoque traditur; conf. Cl. *SONNESCHMID.* § 12. & §. 20. nec non locus eximius ex *JVDA LEONE* allatus in *Museo Brem.* vol. II. p. 9. *Forma* maximam partem eadem fuit cum illa, quam, acerra, festo

* paratam ex *auro viridi*, quod minus pretiosum erat, sed pretiosum tamen, vid. *Rob. SERINGHAMIVS* ad *Joma* cap. IV. m. 4. p. m. 47. & ex eo, licet non nominato, *HAMMIVS* Part. I. cap. IV. §. 5. in fine; add. *Jo. Andr. CLEFFELIVS* disert. de *balteo Sacerdotis magni* p. 27. in notis. Hinc *Martialis* canit:

*Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Jupiter*

lib. XII. epigr. XV. v. 3. id est auri, quod *Smaragdis*, quibus textum erat, plurimum virebat, interprete *Jo. Christoph. WICHMANSHAVSENIO* disert. *Wittebergæ* 1720. edita, de *corona Annonitica.* §. 15. p. 76.

fecto expiationis adhibita habuit. vid. supra cap. III. §. 5. Respectu mensuræ *πρωτων* argenteum ab aureo quotidiano differebat, dum prius quatuor prunarum cabos, posterius tres tantum continuit, unde infundendo prunas ex argenteo in aureum cabus circiter prunarum dispergebatur. תמיד cap. V. m. 5. ibique IKENIVS, Vir præstantissimus. Ab aureo autem solenni, seu die expiationis adhibito, qua ratione fuerit distinctum respectu manubrii brevioris, quod sine tegumento habuit, cum illud thuribuli solennis fuerit longius, atque tegumento quodam instructum Cl. SONNENSCHMID p. 14. sqq. ex monumentis Hebræorum uberius docuit*. Cæterum si prunæ aliqua in pavementum atrii decidissent, in rivulum aquarum fontis Etam, quem uberius ex R. Jehuda Leone Cl. IKENIVS ad Tamid V. 5. describit, mox a Sacerdotibus quibus curæ erat atrium mundum conservare, converrendas fuisse, ex codice modo memorato docet Campeg. VI. TRINGA comm. ad Apoc. VIII. 5.

T. II. P. III.

Hh

§. IV.

* Addi debent auctores, qui de voce מיתה uberius egerunt, in tract. de panibus facierum Part. I. cap. IV. §. 9. p. 53. & in altero de *lychnuebo Mosaico* cap. IV. §. 11. jam laudati, nec non IKENIVS ad תמיד cap. I. m. 3. n. 3.

§. IV. Nec omitti debet Sacerdos tertius, cui adolatio suffitus per sortem obigit. Hic, testibus judæis in תמיד cap. V. m. 4. fumebat גדול לתרקב של זהב: מוזיק שלשת קביוס: והבזך היה בתוכו מלא וגדוש קטרת: וכסוי היה לו: וכמק: *acerram, similem Tarkab magno aureo, comprehendenti tres cabos, in cujus medio erat scutella, plena, & accumulata suffitu, cui erat operculum, & lin-teum quoddam, ipsi superne impositum.* Atque sic cum Sacerdote secundo, qui *προπεσθ* gestabat, **, nec non cum alio, qui in adolendo suffitu auxilium tulit, quem *איהבו* *amicum suum*, vel *קרבו* *socium*, *fratrem suum*, dicere solitus est, Sanctuarium intrans, ipsam adolitionem, de qua alibi plura, attente ac circumspicte peregit. vid. præter RELANDVM, aliosque, *Fo. Frid. LOSCANVS* dissert. de *sacrificiis quotidianis*. p. 27. *Acerra* illa *thuris* in codice sacro appellatur כף a figura, quæ *volam*

** CI. VITRINGA quidem, traditionem illam Hebræorum oppugnaturus, in comm. ad Apoc. VIII. 3. p. m. 333. scribit, *unum hominem per se solum utri-que parti hujus officii suffecisse, rem ipsam clamare, & exempla evincere*; Interim cum exempla nulla attulerit, nec ipsemet negare aufit, sic subinde vel passim in ritu quotidiano observatum fuisse, fides Talmudicis traditionibus cur habenda non sit, rationem sufficientem non video.

manus refert, unde KIMCHIVS הכוך כפרפה
phialam incurvatam emphatice dixit. ***
 Interpres *Chaldeus* vertit כוך, sicuti etiam
 R. *Isaacides* & alii per כפרת intelligunt
 כוכין, in quibus thus adservari solet. vid.
Museum Brem. vol. II. p. 7. hinc non mirum,
 quando in paraphrasibus Chaldaicis, nec
 non in scriptis Rabbinorum utraque vox
 saepius promiscue adhibita legitur. Postero-
 riores tamen duo exinde vasa efficiunt, a
 se invicem distincta, *majus* nimirum ali-
 quod, & *minus*, majori illi impositum,
 quorum illud כה, hoc כוך appella-
 re solent. Usus majoris hic erat,
 ne ex vasculo minori, quod suffitu cumu-
 late adimpletum fuisse, supra ex codice
 תמיד confirmatum est, particula quaedam
 in pavementum decideret. Præterea ad-
 debatur *operculum aureum*, cui superimpo-
 situm fuisse dicitur מטוטלת *Metotteles*,
 quam vocem nonnulli per *annulum*, quo
 auferri posset operculum, alii per *lintheum*
 explicant, uti ex BARTENOR. docet *Jac.*
 MEIERVS §. 51. A plurimis autem intel-
 ligi

H h 2

*** sicuti etiam כה a כפה incurvavit, volam manus,
lancem & similia notat, quæ character ipse literæ כ
 accurate satis exprimit, observante, *Jac.* RHEN-
 FERDO *Opp. philol.* p. 227. *Concavitatem rei* innuit,
 iudice *Jo. Christoph. WICHMANSHAVSENIO*
dissert. de fasciculo vita ad 1 Sam. 25. 29. §. 9. *Wittob.*
 1725. & tom. I. f. 530. *thesauri Hufseo-Akemiani.*

ligi *lintheum*, imo a R. JEHVDA LEONE lib. III. cap. IV. §. 17. utrumque huic vasi, scilicet tam *annulum*, quam *lintheum* tribui, diligenter observat IKENIVS ad תמיד cap. V. m. 4. n. 3. Plura utroque de vasculo, eorumque nominibus præter HAMMIVM Part. II. cap. V. §. 4. habent Hadr. RELANDVS de *spoliis templi Hierosol.* cap. XI. p. 102. sqq. *Campeg.* VITRINGA comm. ad Apoc. V. 8. Ludov. WOLTERSIVS dissert. I. de *panibus & mensa propositionis* p. 24. sqq. Dideric. JACOBSENIVS de *adspersionibus Hebræorum* cap. II. §. 5. & *Conn.* IKENIVS ad תמיד cap. II. m. 5. & cap. IV. m. 3.

§. V. *Fata altaris nostri in tabernaculo & templo utroque fuerunt varia.* In excidio templi prioris ex jussu Jeremiæ a Josia absconditum fuisse, judæi exinde colligunt, quod non recensetur inter ea, quæ tunc deperdita II Reg. XXIV. 15. II Paralipom. XXXVI. 18. sq. Jer. LII. 19. vid. Jo. MEYERVS in prolegomenis ad סדר עולם seu *Chronicon Hebræorum* p. 151. Sed, quæ de vasorum sacrorum absconsione ab Hebræis plerumque tradi solent, fabulosa prorsus sunt, uti Jo. BVXTORFFIVS & alii jamdudum erudite evicerunt. conf. tract. meus de *mensa facierum* cap. IV. §. 4. In templo posteriori altare hoc adfuisse, nemo facile inficias ibit, unde nec a Viris doctis

doctis, qui res in templo hoc desideratas diverso plane modo enumerant, unquam memorari, earumque ad numerum referri solet; imo ut taceamus altare novum a *Juda* Maccabæo exstructum, sub finem hujus templi posterioris, imo in ipso excidio adhuc adfuisse, ex *Josepho* omnino constat. Quod autem in areo *Titi* *Vespasiani* altare hoc non conspiciatur, illud, cum flamma templi jam invalesceret, & ipsemet *Titus* insaniam militum cohibere non posset, brevi ante a manu sacrilega fuisse raptum, sicuti res plurimas sacras templo obfesso a sacrilegis ablatas, atque in usus privatos conversas, *Josephus* lib. VI. de bello judaico cap. XVI. tradit, neque inter templi destructi rudera inventum ad manus *Titi* pervenisse, Viri docti cum celeb. *RELANDO* in libro de *spoliis templi Hierosol.* p. 14. & p. 121. tuto exinde colligunt.

CAP. V.

DE

ALTARIS AVREI MYSTERIO.

ARGUMENTVM.

S. I. *M*ysterium, altaris suffitus probatur, argumentis variis, & consensu judæorum. Altare holoc. quoque typicum fuit.

H h 3

S. 2.

§. 2. *Judei literaliter explicant.* §. 3. *Rectius Christiani Messiam quaerunt. Hic altare in S. S. dicitur. Locus Apoc. VIII. 3. explicatur. Apoc. IX. 13. illustratur, ut & Hebr. XIII. 10. Cl. HAMMIVS notatur.* §. 4. *Aurum & lignum embl. Christi hominis exaltati, non divinitatis ejus. Apud gentes ara embl. divinitatis & providentiae, nec non sanctitatis.* §. 5. *Forma quadrata cujus rei symbolum? Mystera in mensuris S. quaerenda. In forma triangulari altarium Germani mysterium perfectionis invenerunt. Altare suffitus cur cor adstantis attigerit.* §. 6. *Cornua cujus rei emblemata? Christus est intercessor, magneque autoritatis. Locus Joh. XVII. 24. illustratur. $\Theta\epsilon\lambda\omega$ interdum opto, desidero, velim.* §. 7. *Tectum altaris notat Christi promptitudinem & amorem. Latera firmitatem intercessionis ejus. Limbus duplicem dignitatem.* §. 8. *Annuli IV. Evangelistas, Vectes duo Prophetas & Apostolos depingunt. Vasa emblemata hominum, Messiae, & Doctorum Ecclesiae. Sic etiam vasa thuris, cinerum & alia.* §. 9. *Sparfiones sanguinis & oblatio suffitus in altari meritum & intercessionem Christi notarunt. Preces in Christi merito fuisse Deo placent. De adspersionibus Hebr. egerunt varii. Mysterium earum a Cl. JACOBSENIO expectatur.* §. 10. *Situs altaris in Sancto typicus. Sanctum embl. Ecclesiae invisibilis in terra. Cur inter mensam & lychnuchum locum medium habuerit? BAUMANNI & ali-*

aliorum meditationes non satis solide sunt.
 Herm. WITSIVS a PFAFFIO & OLEARIO
 laudatus.

§. I. **A**ltare aureum imaginem rei
 præstantioris gessisse, variis
 ex argumentis luculenter
 constat. Quo respectu tota
 lex V. T. *umbram honorum futurorum* habue-
 rit, teste Apostolo Hebr. X. 1. sive *σκια-
 γραφίαν*, quâ uti solent Pictores ante pi-
 cturæ perfectionem, ut quodammodo co-
 gnosci queat, cujusmodi ipsa *εἰκὼν* sit fu-
 tura, jam ante septennium in præmio
 Partis II. de *panibus facierum, eorumque my-
 sterio* uberius docui. Atque V. Cl. Jo. MEY-
 ERO, quem testimonia quædam *judeorum*,
 eandem veritatem sedulò inculcantium,
 adduxisse, ibidem memoravi, Jo. Rudol-
 phus RVDOLPHI, Theologus in Helvetia
 insignis, in dissert. de *temporibus sacris He-
 bræorum* §. I. subungi meretur. Præterea
 veritatem illam in genere adstruere licet
 ex canone vulgari: *Quicquid dicitur de toto,
 dicitur etiam de partibus.* Si ergò totum ta-
 bernaculum, totumque templum, typus
 fuere rei sublimioris, teste D. Paulo pas-
 sim, idem de singulis utriusque partibus
 tutò affirmare possumus. Imo, quod pro-
 prius ad rem præsentem facit, argumentari
 omninò licebit *a contenti ad contentum,*
 H h 4 cum

cum Sanctuarium tabernaculi & templi Ecclesiam N. T. adumbraverit, ea etiam, quæ in Sancto erant, altare, ac candelabrum, cum mensa facierum, typica fuisse, tutò exinde colligitur; nec non a contentò *ad continens*, cum suffitus, panes facierum, & oleum sacrum, typica fuerunt, non minus vasa sacra, rerum illarum, receptacula, mystici aliquid indigitasse, largiri debemus. Sicuti etiam ex sententia ipsorum judæorum in *Berachoth* cap. V. vasa illa Sanctuarii data sunt in *typos rerum intellectualium, ad intelligendum ex us veritates cælestes*, observante *Wilh. Ern. EWALDO* dissert. de *aquis hierichuntinis, sale per Elisam conditis* 2 Reg. II. 19-22. §. 16. cum quo testimonio extimio conferri velim alia R. BECHAI & R. MENACHEM *Raknatensis*, in tract. de *panibus facierum* Part. II. p. 72. jam allata. Denique *similium similis est ratio*. Si ergò altare holocaustorum umbram Christi habuit, interprete *Paulo Ebr. XIII. 10. **,
no^r

* Ipsi doctores *Hebræorum* mysterium hoc altaris holocaustorum jam agnoverunt, unde vim expiandi peccata, reconciliandi, pacem restituendi, & ad Patrem cælestem adducendi, luculenter ei tribuunt. Insignia hujus rei testimonia eorum ex monumentis sedulò collegerunt *Jac. RHENFERDVS* *Opp. philologg.* p. 708. 199. & *David MILLIVS* dissert. de altari mediatore integra, quæ inter *dissertationes* ejus selectas locum tertium † tenet.

† Aut in secundâ editione, quæ 1743. in 4 prodit, locum decimum C. I.

nostrum etiam altare sublimius mysterium intendisse, merito exinde argumentari licebit. Conferri omnino merentur, quæ post *Guil. SALDENVM*, aliosque Doctores, in hoc studiorum genere præstantissimos, *B. RAMBACHIVS* in eleganti de *sensus mystici criteriis* tractatu p. 59. sqq. de his argumentandi modis erudite disseruit.

§. II. Nos ergo, qui Christo nomen dedimus, *mysterium altaris nostri* piè credimus, his ex argumentis per gratiam Dei collustrantem firmiter persuasi, ne cum gente judæorum recutita, quorum *cordibus velum incumbit* II Cor. III. 14. 15. impio modo cœcutire, radiosque Solis justitiæ pertinaciter retundere videamur, nisi forsitan absolvere eos malis, atque elogia, quibus *altare holocaustorum* passim cumularunt, ad nostrum etiam spectare existimes. Cæteroquin quæ de *altari suscitatus* seorsim attulerunt, valde jejuna sunt, & ultra sensum literalem vix adfurgere videntur v. g. illud fuisse *ad removendum odorem, ex carne in oblationem mactata ortum*, vel innuere *corruptionem hominis*, sicuti altare holocaustorum *corruptionem reliquorum corporum compositorum*, vel uti in *Pirke Avoth* dicitur, *indigitare mercedem, quæ conferatur iis, qui Deum diligunt, ejusque præcepta sedulo observant, nimirum immortalitatem animæ hominis*

post mortem, quæ fumi instar sursum ascendat, & quidem mediante lege, cum altare nostrum respexerit Sanctum Sanctorum, & quæ id genus plura, a Jo. MEYERO in annotatt. ad Seder Olam p. 750. 754. 758. diligenter collecta.

§. III. Longe omninò sapientius Interpretes Christianorum *Mesiam* hoc sub cortice diligenter quæsierunt, licet non omnes æquali dexteritate, nominatim *Franc. BVRMANNVS, Herm. WITSIVS, Campeg. VITRINGA, & Frid. Adolph. LAMPIVS,* ex aliis *Fouch. LANGIVS* nec non *Jo. Jac. RAMBACHIVS,* quibus *Mich. WALTHERVS,* & reliqui apud *Mich. BAVMANNVM* in *analectis typicis* p. 1400. sqq. subjungi merentur. Christum enim in codice sacro nomine *altaris* insigniri, ejusque sub symbolo frequenter depingi, ex *Pf. XXVI. 6. Ll. 21. Jes. XIX. 19. Ebr. XIII. 10. Apoc. VI. 9.* Viri docti rectè colligunt. vid. *Jo. D' OVTREIN* in comm. præstantissimo ad locum ex epist. ad *Hebræos* modo citatum; & in specie *altare nostrum* imaginem *Christi* gessisse, ex *Apoc. VIII. 3.* diserte discimus cum *Jo. GERHARDO* & aliis apud *Godofr. VOIGTIUM* in libro de *altaribus Christianorum* cap. II. §. 17. Non quidem facere possum cum *Cl. HAMMIO,* qui *Angelum* ad *altare aureum* stetisse, contem-

tendit; nam Johannes vidit Angelum, non stantem ἐπὶ τῷ θυσιαστηρίῳ τοῦ χρυσοῦ, sed stantem ante aram & habentem thuribulum aureum. Ara autem illa neutiquam est altare aureum, quod adolendo suffitui inferviit, sed holocaustorum, quod absolute ara in Apocalypsi appellari solet; uti cum Jo. BRAVNIO *Campeg.* VITRINGA ad hunc locum optime observat. Interim per altare aureum, paulo post eodem commate memoratum, super quod suffitus precibus Sanctorum dabatur, Christum intelligi debere, atque per Angelum ad aram holocaustorum stantem Spiritum Sanctum tanquam Spiritum gratie & precum, Jo. D' OVERTREINIO, V. Cl. lubens largior. Proxime vero ad rem presentem facit locus eximius Apoc. IX. 13. ubi vox quaedam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod coram Deo erat, prodiisse dicitur. Per altare enim illud ipsum Christum indigitari, nexus totius orationis facile suadet. vid. præter VITRINGAM B. LAMPIVS. in *mysterio fœderis gratie* Part. III. cap. XXVI. §. 16. *

§. IV.

** Ad idem altare aureum respici Hebr. XIII. 10. Cl. HAMMIVS post celeb. BRAVNIVM conjicit, sed, ut mihi quidem videtur, nimis subtiliter; nam alia dubia ut taceam, Apostolus Christum, altare verum, opponit disertè altari typico, seu ho-

§. IV. Materia altaris aurei erat *lignum* & *aurum*. vid. supra cap. II. §. 2. Quæ duo qua ratione Christi *hominis*, & quidem ad dextram Patris *exaltati*, ibique pro nobis *intercedentis*, nec non *sapientie*, *sanctitatis* aliarumque qualitatum in *Messia* conspicuarum, *emblemata* gesserint, in tract. de *mensa facierum* cap. V. §. 3. *** uberius jam docui. Fallitur ergo *Herm. WITSIVS* ac cum eo *Cl. Jo. HAMMIVS*, falluntur & alii, quorum ex *judicio aurum æternam ac divinam Christi præstantiam*, ejus autem *conjunctio cum ligno conjunctionem naturæ utriusque, divine ac humane*, in opere *intercessionis* designarunt. Sicuti enim omnes terræ *fructus*, quales sunt *aurum & lignum* pro *symbolo divinitatis* minus commode *haberi queunt*, ita etiam quodeunque opus *χρησποικητος divinitatis* ejusdem *imaginem* nunquam gerit, quod posterius recte *inculcat celeb. LAMPIVS*

locaustorum, de quo *potestatem comedendi* habuerint *tabernaculo olim servientes*. *HAMMIVS* autem *omni modo contendit probare*, talem a *PAVLO* innui *aram typicam*, de qua olim *potestatem comedendi* non habuerint. *Aliâ viâ altare aureum* in loco hoc *infeliciter quæsit* laudatus *Braunius*, sed vide sis, quæ *Jo. D' OUTREINIVS* contra eum attulit.

*** nec non in tract. de *lychnucho Mosaico*, ejusque *mysterio* cap. V. §. 4.

PIVS exercitat. III. ad Pf. XLV. §. 12. p. m. 123. & in *myst. fœd. gratie* Part. II. cap. XXII. §. 12. p. 793. n. 3. *. Apud gentiles tamen aram esse argumentum divinitatis, & exinde notam providentiæ divini in nummis Augusti, Vespasiani & Titi, eleganter docet doct. Christianus CNORR dissert. de antiquis Romanorum nummismatibus, consecrationem illustrantibus cap. I. §. 15. cum quo conferri possunt, quæ de ara, divini honoris indicio, nec non sanctitatis emblemate Laurentius BEGERVS, Vir dignitate & eruditione illustris tom. I. thesauri Brandenburgici f. 181. & tom. II. f. 610. diligenter attulit.

§. V. Formam altaris nostri quadratam fuisse, unius cubiti in longitudine & latitudine, duorum vero in altitudine, supra cap. II. §. 2. & §. 4. dictum est: *mysterium* antem formæ quadratæ in tract. de panibus facierum Part. II. cap. III. §. 1. nec non in tract. de mensa facierum, ejusque mysterio cap. V. §. 4. jam olim indicavi. Similiter Balthasar MEISNERVS, Theologus quondam in Academia Wittebergensi haud incelebris, lignis quadratis arcæ Noachi constantiam in probitate figurari scribit. *Quemvis bonum*

* Idem contra CRAMERVM & BRAVNIVM urget Herm. BRÜNINGIVS in dissert. de sacrificiis veteris Testamenti cap. II. §. 2.

τετραγωνον vel quadratum esse convenit; ut sibi semper similis permaneat, & in quamcumque partem verses, virtuosus rectusque appareat. in orat. de arca Noachi, cum qua comparatur Academia. p. 14. **. Nec omitti velim, quæ de quatuor extremitatibus τῆς οὐράς, Petro ostensa differunt Bernh. DVYSINGIVS V. Cl. differt. de visione caelesti, quæ Petro vocatio gentium, & in specie Cornelii mandata ad Act. X. 9-16. p. 24. Marpurgi 1710. Falluntur ergo, qui in forma vasorum sacrorum, nec non ipsorum in mensuris mysteria quærenda esse, cum Jo. MEYERO in annotatt. ad סדר עולם p. 751. omni modo negant; longe rectius enim judicat Campeg. VITRINGA, Vir perspicacissimus: Altaris mystici in templo Dei flux etiam sunt mensuræ, si in ullo alio templi instrumento, diligentèr observandæ. Christi enim Jesu sua sunt certa attributa, proprietates, insignia, γωσιμότητα, ex quibus cognoscendus erat, & iudicium ferendum, an dignus esset, per quem, & in cuius communione Ecclesia electorum ad Deum accederet in fide, & cum eo commercium coleret, qui characteres mystice dicuntur cælaturæ ejus. comm. ad Apoc. XI. 1-14. p. m. 452. Ipsi gentiles figuram altarium suorum attente contem-
pla-

** quæ cum altera de Cherubinis, quibus Studiosi debent esse similes, Wittbergæ 1677. lucem vidit.

plati sunt, unde Germani veteres formâ eorum *triangulari* mysterium *perfectionis* contineri judicarunt, observante *Elia* SCHEDIO in libro de *Diis Germanis* cap. XXV. p. m. 355. Cœterum cum altare nostrum, duos cubitos altum, summitate sua attigerit *cor* adstantis ei & suffitum adolentis Sacerdotis, eo ipso indicari, quod in cultu & adoratione Dei summæ sint & præcipuæ *cordis* partes, cum Cl. HAMMIO celeb. *Alb. VOGET* orat. de *natatilibus ad a-ram Jehovæ non factis* p. 67. haud male suspicatur.

§. VI. *Cornua* quatuor, quibus altare suffitus exornatum fuit, vid. supra cap. II. §. 5. 6. quid in Christo, *Intercesfore* nostro, Rom. VIII. 34. Ebr. VII. 25. & 1 Joh. II. 1. conf. B. LAMPIVS ad Pf. XLV. exerc. VII. §. 12. p. 325. præfiguraverint, ex ipso *cornuum* emblemate, quod sæcundum est, facile liquet: *potentiam* videlicet *cum auctoritate* conjunctam, *honorem & gloriam*, *abundantiam*, & quæ alia, in tract. de *panibus facierum* Part. II. cap. III. §. 4. uberius jam excussa ***. Quanta vero *intercessionis* illius Christi sit *autoritas*, vel solus locus
Joh.

*** Subjungi possunt, quæ de *cornu salutis*, simbolo *Christi*, *Wilb. Ern. EWALDVS* *ensem. sacr.* Part. I. p. 112. sqq. erudite disseruit.

Joh. XVII. 24. nos abunde convincit, dum enim Patrem suum sic alloquitur: *volo, ut ubi ego sum, etiam illi sint mecum, quos Tu dedisti mihi*, eo ipso nobis indicat non modo singularem quandam *παρουσίαν*, sed etiam jus indisputabile, cui illa innitebatur, & quod ei, tanquam perfecto mediatori competeat, ut B. LAMPIVS optime scribit, unde non opus est, ut cum Thom. GATAKERO & aliis mitiorem quæramus interpretationem, q. d. *opto, desidero, velim*, licet cæteroquin Scriptores græci verbum illud hoc sensu interdum accipiunt.* Consentientem aliqua saltem ex parte deprehendi Jo. Christoph. WOLFFIVM, Virum insignem, dum interpretationem nostram non modo retineri posse, sed etiam forte debere, judicat in *curis philologicis criticis* ad hunc locum.

§. VII. *Tectum* altaris aurei, quod vasculis variis, igne vel suffitu repletis, recipiendis inferviebat, vid. supra cap. II. §. 8. haud incongruè depingit tum *promptitudinem* Salvatoris optime, quâ totum le-

* Exempla hujus significationis dabunt Sebast. PFCHECHENIVS diatr. de lingua græca. N. T. puritate §. 99. p. m. 201. collect. Rbenferd. Frid. Adolph. LAMPPIVS comm. ad Joh. XII. 21. & Jac. GERINGIVS dissert. de præstantia vini veteris præ novo ad Luc. V. 39. p. 6. Lipsi. 1712.

de Altari aureo tabern. ejusq. &c. 481

legis *δικαιουα* implere voluit, tum *amorem* ejus intensissimum, quo se pro nobis tradidit *in oblationem ac hostiam Deo in odorem suavitatis*. Eph. V. 2. ut & nos Deo fimus *bona fragrantia Christi* II Cor. III. 12. Phil. IV. 18. velut & nostræ preces vi meriti & intercessionis ipsius Patri gratæ sunt. Apoc. VIII. 3. conf. *Herm. WITSIVS miscel. Sacr. lib. II. dissert. I. §. 51. p. m. 423. & observatio mea de אֲבִירָה ad Gen. VIII. 21. §. X. Latera altaris vero, quorum pondere id ipsum firmiter consistebat, vid. supra cap. II. §. 9. in mentem nobis revocant firmitatem intercessionis I. C. quæ æterno pacis consilio, cujus pars ipsemet fuerat, Job. XXXIII. 24. & in quo Pater ei per passiones consummato facultatem a se postulandi concesserat Pf. II. 8. vid. B. LAMPIVS comm. ad Joh. XVII. 24. p. m. 485. Limbus denique aureus, qui altare nostrum coronæ instar regiæ cinxit, supra cap. II. §. 10. qua ratione ad *duplicem Messix dignitatem, regiam & Sacerdotalem respectum suum* habeat, ex iis, quæ in tract. de *mensa facierum* cap. V. §. 3. de *limbo mensæ aureæ jam attuli, discere* licebit **.*

T. II. P. III.

I i

§. VIII.

** add. Mich. BAVMANNVS in *analect. typis* p. 1401.

§. VIII. Nec omitti debent *annuli* IV, lateribus altaris suffitus infixi, ut & *velles* duo, quibus mediantibus altare hoc portari debuit, supra cap. II. §. 10. quorum priores numerum *quaternarium* Evangelistarum, posteriores autem *duplicem ordinem* testium Veritatis, *Prophetarum & Apostolorum* commodè præfigurarunt. vid. tract. de *mensa facierum* cap. V. §. 4. Eisdem Ecclesiæ Doctores per *vasa sacra*, quorum usus in ministerio altaris nostri fuit perpetuus, eleganter depictos, piè credimus, supra cap. III. §. 7. sqq. Sicuti enim *vasa* in literis sacris æque ac profanis *hominum* in genere emblemata frequenter esse solent *****, ita in specie *Doctorum Ecclesiæ* **typum* hoc

10-

*** exempla non pauca congefferunt Sam. BOCHARTVS Opp. tom. I. f. 1244 Jo. Christoph. WOLFIVS in *curis crit.* ad Act. IX 15. Jo. VRIEMOET *observatt. N. T.* p. 128. Alb. SCHULTENS *animadv.* V. T. ad Gen. 49 6. p. 27. Andr. SCHOTTIVS in *adag. sacr.* ad II Cor. IV. 7. fascie III. *Thomæ* CRENII p. 697. Will. Ern. EWALDVVS dissert. de *aquis hierichuntinis* &c. §. 16. & Georg. SCHAVBIVS dissert. de *utribus* V. T. recentioris N. T. *vini impatientibus* Luc. V. 37-39. Sect. II. §. I. Similiter Doctores hebræorum *hominem* cum *vasè* comparare solent. Locum planè eximium ex *Bereschith rabba* f. 35. I. alia occasione dedit Jo. FRISCHMVTHT dissert. I. de *ligatione Isaaci*. §. 2. * Ipsi judæi in monumentis suis eodem emblemate uti solent, undè *Messiam* in Pirke Abhoth cap. II.

loco commodè gerunt. Dum enim *thura precum* pro se & aliis offerunt quotidie, dum *memoriam* J. C. singulis diebus repetunt, dum *ignem cognitionis & sanctitatis* in se & auditoribus suis sedulò excitant atque conservant, ecquis ministros doctrina & probitate conspicuos horum *vasorum* sub symbolo jam olim adumbratos fuisse, imprudenter inficiabitur? Rectius certe *Wilh. Ern. EWALDVS*, Vir doctissimus, typum hunc meditatione altiori omninò dignum judicavit, unde ipsis ejus verbis nucleum sub cortice latentem exhibebo: *sunt, quæ primas ab altari recipiunt, ad suffitum accendendum, quia donis Spiritus S. instruuntur, quæ vera fide ab altari meritorum Christi recipiunt Joh. XX. 22. 23. quibus apti redduntur ad suffitum precum calidissimarum pro se & cætu suo Deo offerendum Rom. VIII. 26. Et preces credentium quoque simul Deo quasi exhibent. Apoc. VIII. 3. 4. Sunt vascula, quibus cinis ab altari adservatur, dum memoriam mortis ac sacrificii Christi nunquam non tuentur & refriquant per præconium mortis passionum ac meritorum ipsius, at-*

I i 2

III. m. 14. כּלֵי חַמְדָּה *vas desiderii, seu desiderabile*, dicunt, & Doctores ob *doctrinæ & sapientiæ thesaurum*, quem possident, cum *carbassis, capsulis &c.* sedulò comparant. vid. CI. EWALDVS *diff. de aquis hierichuntinis &c.* aliquoties jam laudata. §. 16.

que per dispensationem sacræ Eucharistie; & reliquias mortis & passionum Christi in corpore suo gerunt II Cor. IV. 10. Gal. VI. 17. Sunt vasa thuris & thuribula sacra, quoniam non solum materiam precum pro se & cætu sibi concredito in pectore puro adservant per solidam doctrinæ salutaris cognitionem & conservationem Apoc. III. 3. 2. Tim. II. 2. sed & accepto per fidem igne Spiritus S. thura precum calidissimarum accendunt, & odorem cognitionis Jehovæ manifestant in omnibus locis 2 Cor. II. 14. uti thuribulum accensum odorem per totam eadem sacram spargebat Exod. XXX. 1. & per totum populum accendente illud Aarone Num. XVI. 46. precibus enim suis pro cætu simul intercedunt. 2 Theff. I. 11. 12. Eph. III. 14-16. Part. III. emblem. Sacr. Exercit. III. de vase electo ad nomen Dei portandum Act. IX. 15. §. X. XI.

§. IX. Veritas hujus typi ex usu duplici altaris, quem supra cap. III. §. 6. sqq. indicavi, propius adstruitur. Dum enim altare nostrum sanguine sacrificiorum toties conspersum, atque suffitum in eo singulis diebus oblatum fuisse legimus, nonne totum illud ministerium sacrum, in altari illo peractum, typicum fuisse, lubentes largiemur? Certe sparsiones sanguinis, ut & oblatio suffitus umbram rei præstantioris habuerunt, testibus Davide, Paulo, ali-

aliisque fidei Heroibus, uti occasione alia magis commode docebitur. Ad rem præsentem monuisse sufficiat, quod *duplex* altaris aurei *usus* duplicem *Christi*, veri *altaris* nostri, ad nos relationem, seu *duplicem* potius, qui ex *Christo altari* in nos redundat, *fructum* eleganter adumbraverit, *meritum* scilicet ejus, quò tradidit se ipsum pro nobis, nec non *intercessionem*, quâ preces nostras Deo gratas reddit. conf. supra §. 7. unde etiam preces Deo placere non possunt, nisi merito Christi nitantur, sicuti suffitus extra altare nostrum offerri non debuit. Si autem Christi merito ac sanguine lustratæ sunt, fragrantissimum odorem omninò exhalant. vid. Franc. BVMANNVS in *synopsi Theolog.* lib. IV. cap. IV. §. 8. p. m. 654. & Mich. BAVMANNVS in *analect. typ.* p. 1400. Reliqua ex occasione *mysterii* ipsius *suffitus*, si Deus vitam viresque concesserit, proluxius enucleabo. Quæ autem de *mysterio adspersionum* dici poterant uberius, a loco præsentis aliena arbitror, unde lectorem meum remitto ad Viros doctos, qui de *sacrificiis* in genere & de *adspersionibus Hebræorum* ** in

** De hoc *adspersionum* argumento vid. LOMERVS, WICHMANSHAVSENIUS, alii, quos *Christoph. Matth. PFAFFIUS* in dissert. *Operibus Jo.*

specie ex professo egerunt. *Didericus* JACOBSENIUS, Vir eruditissimus, qui his de *adspersionibus* singulari dissertatione ante hos viginti fere annos sub praesidio Cel. IKENII prolixè egit, *mysterium* earum quidem non subjunxit, sed se id alio tempore facturum, §. ultimo his verbis pollicitus est: *Nunc tempus esset* (& fateor, id hominem Christianum maxime decere) *ut relictis hisce putaminibus, nucleum lectoribus meis gustandum darem, omniumque harum lustrationum atque purificationum πνευματικὴν διδασκω ostenderem, idque eò magis, quoniam hypothesis doct. Spenceri rectius everti nequit. Sed ut verum fatear, tam amplius iterum sese aperiret dicendi campus, ut omnia in unius dissertationis, cujus consuètos limites ferè jam egressi sumus, cancellos coartari nequeant. Quapropter illud in aliam occasionem rejicimus.* Unde, ut Vir doctissimus promissi sui memor sit propediem, publice etiam contendo.

§. X. Restat ergò, ut de *mysterio situs altaris nostri*, quædam subjungam. *Locus,*

Fo. SPENCERI, præfixa f. II. jam excitavit. Nec omitti velim *Fo. BEHMII* dissert. elegantissimam de *lotione in obeundis sacris gentiliùm, judeorum & Christianorum*. Regiom. 1715. (4).

cus, in quo altare hoc collocatum fuit, erat *Sanctum*, quod *Ecclesie Dei* in hac terra *invisibilis* symbolum esse solet. Hujus membra sunt soli fideles, *Sacerdotes Dei* Jes. LXI. 6. Apoc. I. 6. *Sacerdotium regale*. I Petr. II. 9. quibus tanquam *veris in Spiritu & veritate adoratoribus* Joh. IV. 24. Sanctum ingredi licet, exclusis reliquis. conf. tract. de *mensa facierum, ejusque mysterio* cap. V. §. ultima. Quod autem medium mensam inter & lychnuchum locum haberet è diametro arca foederis (supra cap. III. §. 1.) eo ipso indicabatur, rectâ viâ aditum nobis patere ad propitiatorium, velo per mortem Christi Pontificis rupto. Ebr. IV. 16. neminem ad thronum gratiæ posse accedere, vel preces in nomine Christi intercessoris fundere, nisi *luce cognitionis salutaris* serena sit collustratus, atque cum Christo, *pane vite*, per fidem arctissime unitus; nam *sine fide Deo placere, impossibile est*. Ebr. XI. 6. & *quodcumque ex fide non est, peccatum est*, Rom. XIV. 24. Reliqua, quæ huc spectare videntur, ad materiam de ipso *suffitu* potius pertinent.*** Quæ vero

li 4

Mich.

*** Non possum tamen non subungere piam meditationem *Herm. WITSII*, quem *Scriptorem sane eruditum & elegantem illustris PFAFFIUS Hist. lit.*

Mich. BAVMANNVS, Vir piè doctus, vel ipse in *analectis typicis* meditatus est, vel ex WALTHERO & aliis diligenter congescit, pia magis fuit, quàm solida; quorsum etiam spectat observatio illorum, qui mysterium inde elicere laborant, quod altare nostrum propius fuerit adyto quàm vasa reliqua. Hunc enim errorem, quem Viri, doctrinæ haud vulgaris laude cæteroquin conspici, etiam errarunt, * dum uberius suo loco indicavi, mysterium inde exsculptum per se facilè corrui.

lit. Part. I. p. 98. meritò dicit, & cujus pleraque erudite & ad amussim facta esse, celeb. Godofr. OLEARIVS observat. ad *Matth.* rectè judicat: *Situs hujus altaris in intima parte Sancti est, ubi nefas erat populum introspicere, sed soli versabantur Sacerdotes. Quam e contrario altare holocausti in atrio omnium oculis esset expositum. Christus in cruce se offerens festo paschatis, a toto videbatur populo, sed preces pro suis fundens, etiam in hac vita, in locum secretum secedebat, in montem.* *Matth.* XIV. 23. *Luc.* XXI. 37. Et post oblationem suam non debebat cerni a populo, qui ipsum crucifixerat, esse tamen in medio illorum, quos expiaverat. *Act.* X. 41. lib. II. *miscell. Sacr.* dissert. I. §. 50.

* vid. supra cap. III. §. I.

A.P.J.

ANIELIS

HEB. D.

425^o annum, secundum
parte elapso,
um non solum
trans-Euphra-
hierosolymam,

I I. I

3^o Mo, II. 21. Ergo

474^o baptizatus &
bristus Judaeos
nec sacrificia

3
486 LXX. 3

4^o anno post,
474^o ructo corporis
ernam allaru-
ue S. Sancto-

4
490 LXX. 7

, sed e lapi-
ffusione Spiri-
t. multis mira-
um est.

in qua nonnulla occurrunt
tentione digna, nuper ad-
as appellant, volantes ad
operæ pretium nos factu-
is communicamus C. I.

P

SCHEMA

| A.P.J. | Æ.N. | Reg. Perf. ac Maced. | HEBDOMADVM LXX. DANIELIS | | | | | | | | | | HEB. D. | | |
|--------|------|----------------------|---|--|--|--|--|--|--|--|--|--|---------|--------|---|
| 4256 | 290 | 7 | ARTAXERXES Long: septimum iniiit regni annum, secundum Can. Ptol. Asteodem jam dimidia fere ex parte elapso, exiit demum <i>Διάταγμα</i> Regis, & quidem datum non solum ad Efram, verum etiam ad Quaestores omnes trans-Euphratenfes, ut Efram iuarent, ad instaurandam Hierosolymam, tum <i>Θεσπικίας</i> , tum <i>Πολυτείας</i> sedem. Efr. VII. v. 11. 21. Ergo annus primus Hebdomadum coincidit magna ex parte cum sequenti, & inde ad instauracionem Templi sub Herode elapsi sunt anni CCCCXXXIV. Sive Hebdomades LXII. Nam secundum Can. Ptol. Artaxerxes adhuc regnavit ad An. XXXIV. | | | | | | | | | | 1 I. | 1 | |
| 4257 | 291 | | | | | | | | | | | | | | |
| 34 | 34 | 34 | | | | | | | | | | | 34 | V. | 7 |
| 4291 | 325 | 41 | Quo DARIUS Nothus, sublatis fratribus succesfit. Inde C. accurate annos numerat PTOLOMAEUS usque ad mortem | | | | | | | | | | 35 | | |
| 100 | 100 | * | | | | | | | | | | | 100 | | |
| 4391 | 425 | 1 | ALEXANDRI M. & ÆRÆ PHILIPPICÆ initium, quæ per XI. annos superat. | | | | | | | | | | 135 | XX. | 2 |
| 11 | 11 | 11 | | | | | | | | | | | 11 | | |
| 4402 | 436 | 12 | ÆRAM SELEUCIDARUM. Anno abhinc CXLV. Judæos in libertatem vindicare coepit (Jof. XII. c. 9.) | | | | | | | | | | 146 | XXI. | 6 |
| 145 | 145 | 145 | | | | | | | | | | | 145 | | |
| 4547 | 581 | 157 | 1 JUDAS MACCABÆUS, cujus familia per cxxvi. annos, non sine gloria, principatum regnumque Judaicum tenuit. Aft sequenti præter omnem spem, annitente Antonio, ex Scto, Romæ | | | | | | | | | | 291 | XLII. | 4 |
| 126 | 126 | 126 | | | | | | | | | | | 126 | | |
| 4673 | 707 | 283 | 127 * HERODES Rex renunciatur. Cajo Dornitio | | | | | | | | | | 417 | LX. | 4 |
| 1 | 1 | 1 | | | | | | | | | | | 1 | | |
| 4674 | 708 | 284 | 1 Calvinio iterum, & Cajo Afinio Cofl. Olymp. CLXXXIV. A. 4. exeunte, aut forfan elapso. (Jof. LXIV. Ant. c. 14. v. 26.) Hic abhinc an. XVII. | | | | | | | | | | 418 | LX. | 5 |
| 17 | 17 | 17 | | | | | | | | | | | 17 | LXII. | 7 |
| 4691 | 725 | 301 | 18 1 Templum instaurare coepit, quando jam impletæ erant Hebdomades LXII. Inde ergo decurrere Hebdom. VII. cum dimidia usque ad <i>ἐπιΦανείαν</i> Mesfias. Quando interim Herodes annis abhinc VII. | | | | | | | | | | 435 | LXIII. | 1 |
| 7 | 7 | 7 | | | | | | | | | | | 7 | | |
| 4698 | 732 | 308 | 7 7 post D. quam sub Dario I. exstructum fuerat, | | | | | | | | | | 442 | LXIV. | 1 |
| 13 | 13 | 13 | | | | | | | | | | | 13 | | |
| 4711 | 745 | 321 | 8 1 Templum explicuit. (Jof. LXV. c. ult. §. 5.) Atque hinc Judæi An. XLVI. Joh. II. 20. mihi numerate videntur, quamvis non omnino accurate. Nam Herodes abhinc anno XII. exeunte, vel XIII. ineunte mortuus, & | | | | | | | | | | 455 | LXV. | 7 |
| 9 | 9 | 9 | | | | | | | | | | | 9 | | |
| 4720 | 754 | 330 | 9 9 9 CHRISTUS natus est. Nono anno post, relegato Archelao, Judæa, Sceptro ablato, fit provincia Romana, & primus Magistratus ord. externus Hierosolymæ videbarur. Jam prope aberat Mesfias, & ex VII. Hebdom. restabant XIX. | | | | | | | | | | 464 | LXVII. | 2 |
| 19 | 19 | 19 | | | | | | | | | | | 19 | | |
| 4739 | 773 | 349 | 10 10 10 tantum anni. His elapsis ultima nunc coepit septimanarum Danielis, in cujus medio, tertio abhinc anno, | | | | | | | | | | 483 | LXIX. | 7 |
| 3 | 3 | 3 | | | | | | | | | | | 3 | | |
| 4742 | 776 | 352 | 11 11 11 primo Paschare, a quo baptizatus & Spiritu S. unctus erat, Christus Judæos docuit, nec templum, nec sacrificia amplius prodesse, sed quarto anno post, suo se sacrificio, destructo corporis sui templo, justitiam æternam allaturum. Eodem anno quoque S. Sancto- rum, non manibus factum, sed e lapidibus vivis constructum, effusione Spiritu S. unctum, & pactum N. T. multis miraculis confirmatum & obfignatum est. | | | | | | | | | | 486 | LXX. | 3 |
| 4 | 4 | 4 | | | | | | | | | | | 4 | | |
| 4746 | 780 | 356 | | | | | | | | | | | 490 | LXX. | 7 |

* Cum Vir Clarissimus hanc hebdomadam Danielis supputationem, in qua nonnulla occurrunt aliis minus observata, aut eadem ratione digesta, ac propiori attentione digna, nuper admodum, scortim edidisset, talia autem foliola, ut chartæ, quis appellat, volantes ad paucorum notitiam pervenire imò mox facile intercidere soleant, operæ pretium nos facturos exstimavimus, si eam hac occasione cum erudito orbe propriis communicavimus G. I.

STADTBUCH DER STADT DANNEBERG

| Nummer | Nachname | Vorname | Profession | Wohnort |
|--------|----------|---------|------------|---------|
| 1 | ... | ... | ... | ... |
| 2 | ... | ... | ... | ... |
| 3 | ... | ... | ... | ... |
| 4 | ... | ... | ... | ... |
| 5 | ... | ... | ... | ... |
| 6 | ... | ... | ... | ... |
| 7 | ... | ... | ... | ... |
| 8 | ... | ... | ... | ... |
| 9 | ... | ... | ... | ... |
| 10 | ... | ... | ... | ... |
| 11 | ... | ... | ... | ... |
| 12 | ... | ... | ... | ... |
| 13 | ... | ... | ... | ... |
| 14 | ... | ... | ... | ... |
| 15 | ... | ... | ... | ... |
| 16 | ... | ... | ... | ... |
| 17 | ... | ... | ... | ... |
| 18 | ... | ... | ... | ... |
| 19 | ... | ... | ... | ... |
| 20 | ... | ... | ... | ... |
| 21 | ... | ... | ... | ... |
| 22 | ... | ... | ... | ... |
| 23 | ... | ... | ... | ... |
| 24 | ... | ... | ... | ... |
| 25 | ... | ... | ... | ... |
| 26 | ... | ... | ... | ... |
| 27 | ... | ... | ... | ... |
| 28 | ... | ... | ... | ... |
| 29 | ... | ... | ... | ... |
| 30 | ... | ... | ... | ... |
| 31 | ... | ... | ... | ... |
| 32 | ... | ... | ... | ... |
| 33 | ... | ... | ... | ... |
| 34 | ... | ... | ... | ... |
| 35 | ... | ... | ... | ... |
| 36 | ... | ... | ... | ... |
| 37 | ... | ... | ... | ... |
| 38 | ... | ... | ... | ... |
| 39 | ... | ... | ... | ... |
| 40 | ... | ... | ... | ... |
| 41 | ... | ... | ... | ... |
| 42 | ... | ... | ... | ... |
| 43 | ... | ... | ... | ... |
| 44 | ... | ... | ... | ... |
| 45 | ... | ... | ... | ... |
| 46 | ... | ... | ... | ... |
| 47 | ... | ... | ... | ... |
| 48 | ... | ... | ... | ... |
| 49 | ... | ... | ... | ... |
| 50 | ... | ... | ... | ... |

89



INDEX

| | | | |
|----|----|----|-----|
| 1 | 2 | 3 | 4 |
| 5 | 6 | 7 | 8 |
| 9 | 10 | 11 | 12 |
| 13 | 14 | 15 | 16 |
| 17 | 18 | 19 | 20 |
| 21 | 22 | 23 | 24 |
| 25 | 26 | 27 | 28 |
| 29 | 30 | 31 | 32 |
| 33 | 34 | 35 | 36 |
| 37 | 38 | 39 | 40 |
| 41 | 42 | 43 | 44 |
| 45 | 46 | 47 | 48 |
| 49 | 50 | 51 | 52 |
| 53 | 54 | 55 | 56 |
| 57 | 58 | 59 | 60 |
| 61 | 62 | 63 | 64 |
| 65 | 66 | 67 | 68 |
| 69 | 70 | 71 | 72 |
| 73 | 74 | 75 | 76 |
| 77 | 78 | 79 | 80 |
| 81 | 82 | 83 | 84 |
| 85 | 86 | 87 | 88 |
| 89 | 90 | 91 | 92 |
| 93 | 94 | 95 | 96 |
| 97 | 98 | 99 | 100 |

S
Q
G
C
R
A
C

J

a
t
f
e
l
a
T



III.

SPECIMEN LEXICI GRAECO-
CELTICI HARMONICI,

QUO GRÆCÆ ET GERMANICÆ LIN-
GUÆ SIMULQUE MATRIS SCYTHI-
CÆ VEL CELTICÆ EJUSQUE FILIA-
RVM, TUM ET PLURIMARUM ALI-
ARUM LINGUARUM CONVENIENTIA
OSTENDITUR, AD DUCTUM VO-
CABULORUM GRÆCORUM LITE-
RÆ B AB INITIO USQUE ΒΑΦΗ.

AUCTORE

JOANNE GOTTLOB GVILI-
ELMO DVNCKEL.

MONENDVM.

Convenientias plurimas Græcas &
Germanicas aliasque nullibi in-
veni, quatenus nempe conve-
niunt, si quas autem inveni ab
aliis memoratas, numquam, nisi sola veri-
tate perspecta, genuinas esse arbitratus
sum. Vocabula ipsa seu peregrina seu alia
ex multis auctoribus Græcis, Latinis, a-
liis, variis item Glossariis atque Lexicis
aliisque monumentis desumpta sunt, quæ
T. II. P. III. K k hic

hic nominatim recenseri res non patitur; neque, nisi rarius, in ipso Specimine auctores nomino. Ne unicum quidem vocabulum a me fictum hic reperiri, publice fidem meam interpono: auctores apud quamvis dictionem recensere, res mihi foret perfacilis, lectori iniucunda, nemini utilis: quosdam interdum memoravi, si vel vox linguæ maxime ignotæ, vel aliorum errores occurrant. Rarius tamen aliorum errores adduxi, vulgi autem inter Etymologos rarissime; immo fere penitus hos reticui.

PRIM. HEBR. significat, Græci vocabuli primitivum esse Hebraicum, & sic porro, ubi aliter.

PRIM. SCYTH. notat, Græci vocabuli primitivum esse Scythicum, vel Celticum, vel Germanicum antiquissimum, nam hæc sunt synonyma. Germanicam linguam hodiernam pariter parum differre ab antiquissima Scythica vel Celtica, atque ex hac sermonem Græcorum cepisse originem, fusius demonstratur in Originibus Græcæ linguæ nondum impressis, ubi etiam modus huius derivationis latius exponitur. Adlegatio vocabuli Græci, quod in hoc specimine non existat, plura harmonica sub eo in Lexico MSto suppeditari designat.

Re-

Specimen Lexici Græco-Celtici 491

Reliqua decurtata vocabula sic intelligenda sunt:

Alam. denotat vocabulum Alamanicum, *Anglo-Sax.* Anglo-Saxonicum, *Angl.* Anglicanum, *Arab.* Arabicum, *Ægypt.* Ægyptiacum, *Amer.* Americanum, *Armor.* vel *Aremor.* Armoricanum vel Aremoricum, *Britann.* Britannicum, *Belg.* Belgicum, *Bohem.* Bohemicum, *Chald.* Chaldaicum, *Celt.* Celticum, *Cambr.* Cambricum, *Copt.* Copticum, *Curland.* Curlandicum, *Calmucko-Mungal.* Calmucko-Mungalicum, *Cimbr.* Cimbricum, *Dan.* Danicum, *Franc.* Franconicum, *Germ.* Germanicum, *Germ. obsol.* Germanicum obsoletum, *Gall.* Gallicum, *Gall. obs. & Gall. antiq.* Gallicum obsoletum, & Gallicum antiquum, *Goth.* Gothicum, *Græco-barb.* vel *Græc. rec.* Græcobarbarum, *Hebr.* Hebraicum, *Hung.* Hungaricum, *Hibern.* Hibernicum, *Hottentott.* Hottentotticum, *Hisp.* Hispanicum, *Ital.* Italicum, *Island.* Islandicum, *Lat.* Latinum, *Lat. barb.* Latino-barbarum, *Lithuan.* Lithuanicum, *Livon.* Livonicum, *Lett.* Letticum, *Moscovit.* Moscoviticum vel Rusficum, *Pers.* Persicum, *Phryg.* Phrygicum, *Run.* Runicum, *Rabb.* vel *Rabbin.* Rabbinicum, *Rusf.* Rusficum, *Syr.* Syriacum, *Sax. antiq.* Saxonicum antiquum, *Sax. inf.* vocabulum Saxonie inferioris, *Suev.* Suevicum, *Suec.* Suecicum, *Scand.* Scan-

Scandicum, *Sclav.* Slavonicum, *Samar.* Samaritanum, *Scyth. antiq.* Scythicum antiquissimum, *Scot.* Scoticum, *Turc.* Turcicum. Reliquarum linguarum nomina expressa sunt. Cetera decurtata facile intelligi poterunt.

Bã, vox ovium se acclamantium, Germ. *ba*, *bü*, vid. *Bñ*. *Bã* vocula risus, Germ. *ba!* *bah!* conf. Gall. *bailler*, *baillleur*, *baillage* &c. Vox e sono orta.

Βάαλ, idoli nomen, *Baal*, feribitur quoque *Βεέλ*, *Bel*, Lat. *Baal*, *Bel*. Hebr. *בעל* dominus, Chald. *בַּעַל*, *בַּעֲלָא*, Samar. *כַּעַל*, Syr. *ܒܥܠ*, Arab. *بعل* idem, similiter Æthiopes. Punica lingua *Bal*, Deus, SERV. Asfyriis *Bel* Saturnus & Sol, SERV. ad VIRG. Æn. I. *Βέλα* Sol, *βῆλος* cœlum & Jupiter, HESYCH. sicut Rabbini *בַּעַל* Deus. *Βεελάμην* Deus Phœnicum, EVSEB. de Præp. Ev. Lib. I. *Belem* Deus tutelarioris urbis Aquileiæ PLIN. Lib. XXXVII. cap. 10. *Belem* haberi pro Apolline, HERODIAN. Lib. VIII. cap. 3. PRIM. HEBR. vide *Ἀπόλλων*, *Βάλλην*, *Βασιλεύς*.

Βάαζ, *μαλακός*, mollis, SVID. Germ. *weich*, *weech*, mollis, *Wax*, cera, Germ. obfol. *Pansch*, *Pantsch*, materia madida, PRIM. SCYTH.

Specimen Lexici Græco-Celtici 493

βαβάρας, radix plantæ prodigiosæ, herbariis *Lunaria*, Gall. *Esflore*, *Martagon*, herba præstigiatorum, apud IOSEPH. vid. BV-DÆVS. Germ. *Wahre*, divinatio, vel *Wahre*, & *warfagen*, hariolari. PRIM. forte SCYTH.

βαβάζω, Lat. *vagio*, Germ. *wimmern*, *binseln*, *vagire*. item *vociferor*, Germ. *wiehern* de clamore equorum. Antiqua Oscorum lingua *pipare* eiulabunde conqueri, FEST. eodem sensu Germ. *pfeiffen* hodie crebro accipitur, PRIM. SCYTH. item inarticulate loquor, *babbeln* confuse loqui, Gall. *babiller* garrire, *babil* loquacitas, *babillard* verbosus, *babillarde* verbosa. Ab Hebr. בבל *miscuit*, *confudit*, Chald. בבל, Syr. ܒܒܠ idem, Arab. ب ب dispersus fuit, Rabb. בבל *confundere*, inde nomen urbi *Babel*, בבל, alias *Babylon*, Genes. XI. 9. PRIM. HEBR. v. באָזω &c.

βαβαι, βαβαιάξ, παπαι, vox admirantis, Germ. *buh!* *potz!* *botz!* Lat. *papa*, & in PLAVTI Pseud. *baba!* Hebr. וי ah! vox ex sono orta. conf. בָּהַ & פֶּאֶז.

βαβάκτης, saltator, vid. βαίω &c. item garrulus, Germ. *Wäfscher*, garrulus, v. באָזω. item insanus, *bacchen* furere, *Bacchant* furens. PRIM. SCYTH. Sed *Bacchen*, *Bacchant*, ex Latino venit.

βαβάλιον, βαβαλισηρία, cunæ, vid. βάλλω, ειν, & βαυβάν.

βάβαλον, αιδοιον HESYCH. pudenda. Germ. *Pinsel*, penis bovis, comp. Lat. *Vulva*, vid. βατεύω. Germ. *Fisel* penis, *Pep- per* idem, Gall. *vis*, Rabbin. רבן mem- brum, synecdoch. virile, Lithuan. *Bybis*, idem, vid. JO. ARNHOLD von BRAND Reisen durch die Marck Brand. &c. Vefal. 1702. 8. ubi de lingua Lithuan. Hetrusco- Italice *pipe* verpus, *pi-per* membrofus, exinde *Priapo* nomen v. πρίαπος. PRIM. SCYTH.

βάβαξ, vid. βαβάκτης.

βαβέλιος, Pamphylice Sol, EVSTATH. v. Βάαλ & Απόλων.

βαβράζω contenta voce clamo, HE- SYCH. Germ. *braaschen*, *praaschen*, loqui cum clamore, *babbern* & *dabbern* garrire, Hebr. רבב conf. *brausen*, de undarum strepitu. v. Βάζω, & Βάρβαρος, & Βράζω. PRIM. SCYTH.

βάβριμες, Βάριμες, reliquia esca, denti- bus inhaerentes, *Brocken* reliquia panis & esca, plura in βρώσκω, & alibi. PRIM. SCYTH.

βαβύκα, pons, *Brücke*, *Bruck*, *Pruck*, pons. *Bogen*, fornix pontis. PRIM. SCYTH. vid. Βάκη.

Βα

Specimen Lexici Græco-Celtici 495

βαθύλας, SVID. limen, gradus, *Bole*,
Schwelle. PR. SC.

Βάγαιον, Βάγιον, magnum, Βαγαίος epi-
theton Jovis Phrygii, vid. Βάλλην & Βα-
σιλεύς.

Βαγεύω, SVID. vagor, harmonica sunt
Germ. *schweiffen*, *vagari*, *Weg*, *via*, *Pil-
ger*, *Pilgrim*, *Pilgram*, peregrinans. Lat.
via, *vagor*. PRIM. SCYTH. Gall. *pelerin*,
peregrinator.

Βάγος, frustum panis, HESYCH. *Biszzen*
Germ. idem, & *Bisz*. PRIM. SCYTH.
Heb. בַּבּ cibis, coniungitur cum בַּבּ *buc-
cella*, ut fit בַּבּבּ, Syr. ܒܘܒܘܐ.

Βαδάς, cinædus, HESYCH. vid. Βάτα-
λος, Βατεύω.

Βαδδῖν, βύσσινον ἔνδυμα εἰς ἰσρέας, HE-
SYCH. vid. Βύσσοσ. Alii vestem lineam
exponunt. Proprie est vox Orientalis,
formæ pluralis Chaldaicæ, vid. DAN.
HEINS. Exerc. Sacr. cap. 8. p. m. 184.
Germ. *wad*, tegmen, vestitus, vid. Βαί-
δος. Hebr. בָּד, Arab. بَدَل linum, line-
um. PRIM. HEBR. Confer. Hebr. פְּתִילִּי fil-
lum, (*Faden*) Chald. פְּתִילִּי perversam, per-
verfitas, פְּתִילִּי intorquere, Arab. مَتَل ne-
tum, contortum, simili ratione Æthio-
pes.

pes. item Hebr. תרפא linum, Arab. قستان
tentorium.

Βάδδομαι, Βάσομαι, diligo, vid. Βάταλος,
Βατεύω.

Βάδην, pedetentim, Βαδίζω, Βάδισις, Βά-
δισμα, Βαδισμός &c. vide Βάδος.

Βάδισ, color equi, *weiß* albus, PRIM.
SCYTH.

Βάδισ, HESYCH. Βάδιος SVID. filius,
Germ. dimin. *Busgen*, *pusio*, PRIM. SCYTH.
vid. Βάτιον, & Παῖς.

Βαδισῆς, EVRIP. cursor, δρομεύς, Βαδι-
σικὸς peritus ambulandi POLL. Lib. III. c.
14. Germ. *Bote* cursor. PRIM. SCYTH. vid.
Βάδος.

Βάδος, ὁ, ἡ, iter, adde Βάδην &c. item
Βατῶ incedo, ut & πατῶν, Φοιτῶν. Germ.
obfol. *pedden*, ire, incedere, Lat. *badiza-
re*, *vadere*, Lat. obfol. *repedare* remeare.
Germ. *Baden*, (distinguendum a *baden* bal-
neo uti) *waden*, *wadden*, *watten*, pedibus
transire flumen, Cambr. *beisio*, Anglo-
Sax. *wadan*, Angl. *wade*, Belg. *waaden*,
Lat. *vadare*, idem. Cambr. *baid*, *vadum*,
Belg. *wadde*, id. Lat. *vadum*. Germ. *wan-
dern* peregrinari, Anglo-Sax. *wandrian*,
Angl. *wander*, Suec. *wandra*. PRIM.
SCYTH. plura in Βαῖνω, Πάτος, Πεζός, Πουῖ-

Βά-

Specimen Lexici Græco-Celtici 497

Bádu, nomen fluvii, PAVSAN. *Wasser*,
Water, aqua. vid. *Báicu*, *Bédu*, *ύδωρ*, PRIM.
SCYTH.

Báζω, *ev*, vaticinari, *weisz* in *weiszsa-*
gen, idem. PRIM. SCYTH.

Báζω, *ev*, & quæ alia huc pertinent.
Germ. *schwätzen*, loqui, vox infueta, *ba-*
sen idem. Germ. apud Thuringos *Bäppe* os,
oris. Germ. *fanzen* in *alfanzen*, i. e. aliena
loqui, unde *Alfanzer*, *Alfanzerer*. Celt.
antiq. *bec*, rostrum, SVETON. Vitell. c.
18. Cui *Tolose* nato cognomen in pueritia *BEC-*
CA fuerat, id valet, *gallinaceum rostrum*,
adde LVDOV. THOMASSINI Glossar.
Univ. in חבן col. 6. Inde Lat. *bucca*,
Germ. *Backe*, Gall. *bajoüe* mandibula fu-
illa, *bave* saliva ore fluens, unde *baver*,
bavete, Hisp. *beçacho*, labium magnum,
Beço, *beçudo*, *beçote*, *boçaca*. Germ. *beten*,
bâten, *baten*, recitare, quo sensu adhi-
bent rustici & vulgus in Germania, in spe-
cie de recitatione Decalogi &c. quam si-
gnificationem nonnulli in alienum usum
a τῶ petere detortam volunt. Auctores der
Fortgesetzten Sammlung von Alten und Neuen
an. 1736. causam reperire sibi visi sunt in
libro: *Eine Christliche und sehr liebliche Nar-*
ration oder Fabel von Heva &c. Erfurt 1544.
8. auctore BRVSCHE, quem recensent di-
cto Tomo pag. 134. seqq. Sed falluntur.

Neque enim usus tam universalis in Germania ex isto libello paucissimis viso oriri potuit, immo & multis retro saeculis *beten* in genere notavit *recitare*, ut vel docere poterit RICH. VERSTEGAN in libro raro: *Restitution of decayed Intelligence*, &c. Londini 1634. cap. 7. pag. 210. ubi habet Anglo-Sax. *Bodiung*, i. e. *preaching*, *Bodud*, *preached*, a quibus differt *beten* vel *bâten* orare, quamvis valde simile, sic idem l. c. p. 209. habet Anglo-Sax. *Bead*, *Gibead*, Anglice, *prayer*, *Gebât*, plur. *Gebeadun*, Angl. *prayers*; inde nomen BEDÆ, antiqui apud Anglos scriptoris, Id. ib. c. 8. pag. 246. Hisp. *pedir*, petere, Gall. *prier* PRIM. SCYTH. Concordant sequentia: Americanis *Vach* facies, vid. A B C in hundred Sprachen p. 157. Russ. vel Moscov. *Penauschatli*, peto, J. A. von BRAND l. c. ubi de lingua Russ. Estonica vel Esthlandica lingua *pallume* petimus, Id. ibid. ubi de Livon. Apud Mantischeouos Tataros Tschinenfes *Pissa* notat nasum, apud Korzikos in Kamtschatki *Pysza* idem, apud Avaros vel Akaros in montibus Caucasi *buschi* nasus, apud Tzerkassos *peck*, vid. Tabulæ in JO. PHIL. von STRAHLENBERG Nord- und Ostl. Teil von Europa und Asia Holmiæ 1730. 4. Hebr. מְרַבּ commentus est, & מְרַבּ mendacia, Chald. מְרַבּ mendacia, Rabb. מְרַבּ mentiri, מְרַבּ mendax. porro Hebr. מְרַבּ pronunciavit, Rab-

Rabbin. פִּיט , פִּיט , פִּיט , deprecari , & פִּטֵּט pronunciare , & פִּטֵּט garrere , פִּטֵּט garrulus , Arabice طَبّ pronunciauit . item Hebr. בַּעַה petiit , Chald. בַּעַה , Rabbin. בַּעַה , Syriac. ܒܥܝܢ Arab. بَعَا idem. Præterea Hebr. פָּתַח persuasit , Arab. فتح si SCHINDLERO fides , alias Arab. فَوّ liberalitate vicit . Porro Hebr. פֶּה os , oris , Chald. פֶּה & פֶּה ; Rabbin. פֶּה oscitare , Syr. فَوّ os , oris , simili modo Æthiopes , Samar. פֶּה facies , forma plurali , nam singulari caret . nec non Hebr. פֶּתַח verbum , narratio , sermo , Chald. פֶּתַח , Syriac. פֶּתַח idem . Hebr. בַּעַה petitiō , Chald. بَعَا , Syriace ܒܥܝܢ Arab. بَعَا petitiō . v. Πείθω .

Babáλη , κρήνη , HESYCH. fons , *butteln* scaturire . PRIM. SCYTH. confer *Báθος* .

Babμῖς , *Babμὸς* , *Βισμὸς* , vid. *βαίω* , *Ποῦς* , &c. .

Báθος , τὸ , profunditas , *βαθὸν* profunde , *βάθυνος* fovea , *βαθὺς* &c. Germ. *Bad* balneum , fed v. *βαλανεῖον* . Germ. obf. *spaden* fodere Belg. *spaden* , at v. *σπάδα* . Germ. *Boden* , & obf. *Bode* , fundus fluvii , Ligures , Lingua Celtica loquuti , fluvium *Po* , qui Latine *Padus* nuncupatur , adpellabant *Bodencos* , POLYB. L. II. vel *Bodincus* , i. e. *fun-*

fundo carens, interprete PLIN. Lib. III. c. 16. vid. Summe Reverendus & Doctiff. Dom. SIMON PELLOVTIER Hist. des Celtes Lib. I. cap. 10. pag. 91. not. quam vocem nunc efferimus *Bodenlos*, quod caret fundo. (Germ. *Fund* est a *finden* invenire, & huc non spectat.) Compara Lat. *Fundus*, *fundare*, *fundamentum*, Lat. barb. *Fundum* i. e. fundus, conf. ἀβυσσος. Porro convenit Germ. *tief*, abditum, profundum, Goth. *diup* altus, profundus, Anglo-Sax. *deop*, Angl. *deep*, Belg. *diep*, Dan. *dyb*, idem. Germ. *die Tiefe*, *Tieffe*, profunditas, Persice *dibi*, idem, Angl. *dépth.* &c. PRIM. SCYTH. v. Βυθίζω, Θάπρω.

Babus, prolixus, amplus, Germ. *weit*. Βαθύσχιος, *weitschattig*, PRIM. SCYTH.

Báδπαρος, Jon. rana, *Padde*, vid. Βάτραχος. PRIM SCYTH.

Báidos, genus vestis, WACHT. Βεῦδος, CORN. SCHREVEL. Βεῦδος BVD. ex POLL. Lib. VII. c. 13. Germ. obfol. *Wad*, tegmen, vestitus, supereft in *Leinwad* alias *Leinwand*, item *Gewand* vestimentum. *Watte* hodie tegmen. *Weste*, vestis. Lat. *vestis*, *vestmentum*, *vestitus*. Goth. *wasjan* vestire, Anglo-Sax. *wæde*, *gewede*, vestitus, Alam. & Franc. *uuat*, *giuuat*, idem. Goth. *paila* tunica, Cambr. *pais* idem, Island. *paita* indusium, Gall. *bayette* inter-

rula. Germ. *Wamms*, *Wambs*, *Wammes*,
 thorax, Belg. *wambes*, *wambeis*, id. Vox
 Scythica, unde & *Bassaris*, genus vesti-
 menti ad pedes demissi apud Lydos, vid.
 POLLVX & interpretes ad FLACCI
 Carm. Lib. I. Od. XVIII. Lydi origine fue-
 runt Scythae, & usi sunt horum lingua,
 ut alibi probabitur, & ipsum eorum no-
 men est Scythicum, vid. $\Delta\alpha\delta\varsigma$, hinc mire
 errant, & quidem vulgo omnes, qui no-
 men a *Bassara* vel *Bassareo* Lydiæ loco re-
 petunt, ubi confecta fuerint illa indumen-
 ta. *Causas* vide: 1. Lydos a Scythis ori-
 undos esse probari potest, adeoque usos
 horum lingua; 2. nomina locorum pro-
 pria orta sunt ab adpellativis, quod innu-
 meris posset exemplis probari, rarissime
 vocabula adpellativa a propriis; 3. vesti-
 menta talia tantum in illo Lydiæ loco es-
 se confecta, non alibi, falsum est; 4. Si
 autem foret verum, potius a voce *Bassa-*
ris crederetur dicta urbs Lydiæ, quod ta-
 men iterum falsum foret, cum id nomen
Bassara ævo antiquissimo in genere urbem
 notarit, & tum variis urbibus inditum de-
 generarit in proprium, velut בצרה Idu-
 mæ Gen. XXXVI. & Moabitidis Jerem.
 XXXVIII. Βόσσορα 1 Macc. V. *Bostra* Phœ-
 nicum STRAB. Lib. XVI. *Byrsa* Carthagi-
 nensium, Anglo-Sax. *byrig* civitas, Goth.
baurgs civitas, v. Πιέργαμος , Πύργος ; 5. Vox
 illa

illa Lydica *Bassaris* etiam apud Thraces fuit, qui *Βάσσαρος* vocitarunt bacchantium vestes, Thraces autem Celtice vel Scythice loquebantur; 6. accedit, vocem harmonicam in omnibus fere Occidentalibus linguis, Scythicae filiabus, superesse, ut vel ex supra dictis satis patebit; si 7. nonnulli auctores antiqui hanc etymologiam ab urbe *Bassara* protulere, dandum id est suarum & aliarum originum ignorantia. PRIM. SCYTH. Harmonica sunt Hebr. *בגד* vestis, Arab. *بجالت* vestimentum, Calmucko-Mungal. *Budal*, vestes ex lino, von STRAHLENBERG lib. c. ubi de hac lingua; *Boskunsa* Mantischeouis Tataris Tschinensibus nominatur indusium, Id. I. c. ubi Tab. Lithuanice *padarcos* indusium, von BRAND ubi supra pag. 94.

Baivo, *ew*, amare, wine Anglo-Sax. notavit amabilis, vid. R. VERSTEG. I. c. cap. 8. pag. 245. PRIM. SCYTH. ne confundatur, cum *winnan*, vincere, vid. *Bávda*, & *Bivéw*.

Baivo, *ew*, incedere, intrare &c. Græc. obsol. *Βάω*, porro *Βαβυός*, *Βαβυός*, *Βάβρος*, *Βάβρα*, *Βάβρος*, *Βάβρις* &c. Germ. *Bein* os, ossis, Anglo-Sax. *ban*, Franc. *bain*, *pein*, *bein*, Angl. *bone*, Island. *bein*, Suec. *been*, Belg. *been*; Moscov. *péta* calx. Porro Germ. *Bahn*, via, iter, Belg. *bane* via, Angl.

Angl. *to boone* reparare vias, *die Wege bahnen*, Gall. *pas passus*, Lat. *passus*, Gall. *banquette* via editior equis & plaustris impervia. Germ. *Pote, Patte, Pfote*, pes animalis, Gall. *pâte* idem. Germ. obsol. *beifzen* descendere, Celt. *bas*, infra, Gall. *bas, baisser*. Βάσις ingressus Germ. *Pasz*, inde *Paszgänger*, equus gradarius. Perf. *Pasach* equus celeripes, hinc equus Cyri nominatur apud PLVTARCH. in Artoxerxe p. m. 565. Vitarum TOM. III. *Pasacas*, verba Latine habent: *Vehebatur Cyrus generoso equo, sed effreni & feroci, PASACA nomine, ut est auctor Ctesias*. Ergo in nominativo *Pasacas*, non *Pasacer*, ut Vir quidam doctissimus scripsit, nec variat lectio in eo loco, quantum quidem scio: HADR. RELANDVS de Vet. Ling. Perf. interpretatur *pedibus agilem*, equus tolutarius sic dicitur a volubilitate pedum. Apud HOM. *Iiad.* π. vers. 152. Πήδασος nomen proprium equi Achillis, & ibid. vers. 150. Ποδάγγη, nomen equæ rapidissimæ. Tamquam in transitu noto vulgarem Lexicographorum Latinorum errorem, qui originum Latinorum ignari, vocem *Tolutarius* ex Latina lingua explicantes, aiunt esse quasi *volutarium*, a volutando. Quasi vero Latina lingua non aliunde mendicando collegerit sua vocabula, cum præter Græcas quas adsumsit, dictiones, tota sit Celtica &

& ex Celticis conflata. In lingua Latina T mutari in V, vel V in T, nullum opinor exemplum exstare, saltim non recordor: rectius a *Tollere* derivarent. Sed aliam & veram derivationem vide. Tolutarius est Germ. *zelter*, a *schnell*, celer, *schnellen* motare, vox sine dubio Celtarum antiquissima, sicut Anglo-Sax. *Scrimbre* &c. h. prisci non curabant, ut lingua Saxonica docet & Gothica: illud n. quandoque abiectum est, ut docet *Keel* navis celerrima, Anglo-Sax. *scylan* dividere, Græc. κέλης, equus defultorius, κέλης navigii genus ad prædationem & velocitatem aptum, Latinis *celer*, & *celox* navigium a velocitate dictum, sibilo simul abiecto, ut μικρός ζυμῆρος συμῆρος, σκύλλειν quälten, σκήπτων scipio Gothis Kier, INGEWALD. Hist. Ling. Gr. §. 61. Interdum pronunciatum est ut *zell*, SCHOTTEL. Op. mai. pag. 1447. inter primitiva Germanicæ linguæ numerat *zeller*, *zelleren* celeriter se movere, Græcis ζάλη ventus celer, ζάλος aqua agitata, ζέλλω, iacio, βάλλω, unde *zelter*; z autem simul t & s vel d & s continet, & pro Celtico st vel z Latini sæpe habent T vel D. velut a *stellen* tollere, a *stier* torvus, a *zelt* tentorium, a *ziemer* turdus, a *zabern* tabernæ a *zeigen* indicare, a *ziehen* ducere, &c. atque sic a *zelter* est Tolutarius, & a *zelt* est *tolutim*. Ad prius ut revertamur,

Specimen Lexici Græco-Celtici 505

mur, cum voce Persica congruit Angl. *Pàcer*, i. è. *Paszgänger*. PRIM. SCYTH. Conveniunt Hebr. ברא, Rabb. ברא venire, Arab. با simil. Æthiop. Hebr. ברס calcavit, Arab. باش Hebr. בשס conculcavit, Chald. ברו, Syr. ברו idem, Arab. برتر rapuit. Hebr. פסח transfuit, Chald. פסחא pascha, Syriac. פסחא id. Arab. فصح amplius, Perf. فشي pascha, simil. Æthiop. Hebr. פעמיט pedes, ingressus, incessus. Hebr. פשע incessit, Chald. פסע id. Hebr. פתע passus, Chald. פסעא & פסעא idem. vid. πους, παδος.

Baia, *Baie* & *Baia*, civitas Campaniæ ad mare sita; Nomen dicitur fere ab omnibus accepisse a *Baio* Vlyxis comite ibi sepulto: sedita veterum fabulæ, quibus ignorantiam abscondere tentabant. Incola Campaniæ primi fuere Celtæ, ergo nominis ratio ex horum sermone investiganda est. *Bi* vel *By* vel *Bu* Celtis locum mansionis notavit, Scandis *bio* significavit habitare, Anglo-Sax. *bya* idem; abinde loca Danica & Suecica maximo numero componuntur cum vocabulo *By*, ut *Norby*, quæ vocula & Normannis fuit, unde in Gallia *Bonbu*, HVET. in Origin. Cadomens. p. 441. v. LOESCH. Lit. Celt. Thef.

Ipsa vox *acroama*, si originem spectes, græca est, (*απο τῆς ἀκροῶν*, audiendo) & significat auditionem, rem aliquam auditam, vel seriam vel ludicram, & nunquam pro ipso homine, iucundum aliquid auribus recitante, ponitur, ut infra probabimus. Scribitur etiam contractis syllabis *acroma*. PRUDENTIVS *περὶ σερφάνων* III. 324.

Egon' cachinnis venditus

Acroma b) *festiuum sui?*

Interdum & *ἀκρομα* pro eo dixerunt, ut LVCIANVS *πῆλορον διδασκάλω*.

Ari-

b) Hæc vox, *acroma* hoc loco, suspecta quidem Cl. HEVSINGERO Gymnasii Iſen. Directori, videtur, & integram legendam esse putat, quia vox *acroama* aptissima Prudentii metro esset. Vid. disert. eius de peruulgatioribus aliquot erroribus gram-

ma-

Aristoteles *acroamata* vocavit *commentationes* suas, quas auditoribus tradebat, in quibus subtilior, & remotior philosophia agitabatur.

I I.

Ea vero omnia, quibus olim personabant triclinia, siue fuerint anagnostæ, siue cantores, tibicines, citharœdi, siue mi-

maticis, in *Exercitationibus Societatis Latinae Jen.* Vol. I p. 126. Sed verbo fallitur & fallit vir doctissimus. Retineri quidem verbum *acroama* potuisset, sed puritati obstat, pro quo rectius poeta *acroma* posuit. Quo enim plures iambi in hoc genere versuum occurrunt, eo plus sãauitatis habent. Verbalia etiam in *μα* sæpius syncopen patiuntur. EVSTATH. *Iiad.* π, p. 1112. vt *ὄμμα* pro *ὄμημα*, impetus, ab *ὄμᾶω*, impetu feror: *κῦμα* pro *κῶμα* vel *κῶμημα* ἀκινᾶω misceo. Porro, cum Cl. HEVSINGERVS l. c. dicit: *inualuit praua consuetudo, vt acroama penultima breui pronuntietur - -*, accentum cum quantitate, siue *τόνον* cum *χρόνω*, confandit. *Ἀκρόαμα* enim est proparoxitōnon. Recte itaque pronuntiat^r antepenultima acutiore tono vel voce, quantumuis hæc syllaba sit breuis, & penultima longa. Sic *Θηρία* & *γαστέρες*, in versu illo EPIMENIDIS, a PAVLLO cit. Tit. I. 12. pronuntiantur, propter accentum, penultima longa, vel sono acutiori, cum tamen vtraque vox sit dactylus. Accentus enim a quantitate probe est distinguendus. vide amplio^rem Grammaticam Marchicam Græcam pag. 95. seq.

mimi & gladiatores, siue alia spectacula, quæ, conuiuas oblectandi gratia, inducta, vno verbo Græci Latinique vocant *acroamata*. COELRHODIGINVS antiqu. lect. XXVIII. c. I. de conuiujs agens: *Quod vero, inquit, ad odoramenta spectat, attendenda vehementer Socratis apud Xenophontem monita. Nam in symposio Calliæ laudans δειπνον ἀπευρον* i. e. cœnam omnibus absolutam numeris, *Theamata, inquit, ac Acroamata* i. e. quæ oculos & aures pascant. Vnde patet Græcos etiam in conuiujs sua habuisse *acroamata*, eaque fuisse oblectamenta aurium. PLINIVS l. VI. ep. 31. ad Cornelianum scribit: *Ahibebamur quotidie cœnæ: erat modica, si principem cogitares: interdum acroamata audiebamus: interdum iucundissimis sermonibus nox ducebatur.* BVCHNERVS in notis *acroamata* illa sic exposuit: *Ἀκροαματῶν* nomine appellabantur illi omnes, qui dictis, aut canticis voluptatem auribus facerent, vt sunt musici, histriones, aretalogi, & ridicularii. SVETONIVS Vesp. c. XIX. Ludis, per quos scena Marcelliani theatri restituta dedicabatur, vetera quoque *acroamata* reuocauerat. CICERO pro Archia c. XX. *Themistoclem illum summum Athenis virum dixisse aiunt, cum ex eo quereretur, quod acroama, aut cuius vocem, libentissime audiret, eius, a quo sua virtus optime predicaretur. Vbi per acroama, historia vel narratio significatur.*
Ad

Ad varii generis *acroamata* respicit quoque CORN. NEPOS, in vita ATTICI, dicens: *Nemo in conuiuio eius aliud acroama audiuit, quam anagnosten: quod nos quidem iucundissimum arbitramur.* Legimus etiam *thymelica* nuncupari *acroamata*, quæ Baccho adhiberi consueuerant *δια τὴν πρὸς τὰς θαλάσσιαις αὐτῶν οἰκειότητι.* Vid. Rhodigini lect. antiq. lib. VIII. c. 8. Confer. omnino PLVTARCHVS, cuius inter quæstiones conuiuales I. VII. quæstio octaua est: *τίσι μάλιστα χρησέον ἀκροάμασι πρὸς δειπνον:* quænam potissimum *acroamata* cœnæ sint adhibenda. In qua de *acroamatis* plurima scitu digna sunt tradita. Vid. etiam MVRETI I. VI. var. lect. c. XV.

III.

Quamuis igitur plerisque *acroamata* in genere sint festiuæ sententiæ, siue recitationes, & ludicræ narrationes, aliæque *δι ἀκροαμάτων ἡδοναί,* voluptates, quæ auditu percipiuntur: ex illis tamen, quæ supra cum e PLINIO, tum e NEPOTE, & vtriusque commentatoribus, adduximus, liquet, *acroamata* quoque in specie accipi pro ipsis hominibus, *acroamata* recitantibus. Id quod ex aliis auctorum locis nunc probamus. Ita PLVTARCHVS *Galba: Κάτω αὐλήσαντος αὐτῷ πρὸς δειπνον* (ἀκροά-

αχροαμα δὲ ἦν ὁ Κάνος εὐδοκίμῳ) ἐπήνεσε.
 Idem SVET. *Galba* lib. VII. c. 12. CICE-
 RO orat. pro SEXTIO de P. CLODIO di-
 cit: *Ille ipse maxime ludius, non solum spe-*
ctator, sed actor & acroama. Quibus ver-
 bis significat Clodium vtrumque munus &
 histrionis & musici obiisse. Idem orat. in
 Verrem. VI. *Hic, quasi festiuum acroama,*
ne sine corollario de conuiuio discederet, ibi-
dem conuiuus inspectantibus, emblemata enel-
lenda curauit. Quæ in scholiis BARTHO-
 LOMÆVS LATONIVS sic exposuit: *A-*
croama, res auditu digna, vel festiua narra-
tio, etiam homo festiuus: sed hic pro re poni-
tur. Prout ego vero sentio, hic per *acro-*
ama non *res* vel *festiua narratio*, sed potius
 homo festiuus (*ein kurtzweiliger Mensch*)
 intelligitur.

LAMPRIDIUS quoque videtur vsurpasse
 pro ipsis hominibus, *acroama* recitantibus,
 cum ait in *Alexandro*: *Alexandrum nanos*
& nanas, & moriones, & vocales exoletos &
omnia acroamata, & pantomimos populo do-
nasse. Nec plane aliter accipitur apud MA-
 CROBIUM, *Saturn.* I. II. c. 4. *Delectatus*
 (Augustus) *inter cœnam erat pueris sympho-*
niacis Turonii Flacci Mangonis, atque eos fru-
mento donauerat, cum in alia acroamata fuis-
set liberalis nummis. Conf. SVET. *Aug.*
 cap. 74.

I V.

Ad acroamata ergo primo loco referimus *Anagnostas*, *lectores*, (*ἀπὸ τῆ ἀναγνώσεως*, *legere* vel *rursum legere*) ; qui serui erant literati, quibus præsertim familia ATTICI celebris, vt NEPOS ATTICO c. XIII. qui, cœnante domino, vel in itinere, etiam noctu, cum somnum statim oculis capere non posset, (SVET. Aug. c. 78) historias, (teste Plutarcho l. c.) & dialogos ex Platone memoriter recitare, vel librum aliquem prælegere debebant: & quidem comœdum, historicum, vel poëtam, quorum lectio, eo tempore, quo animi quæritur remisio, maxime placet. PLINIVS lib. III. ep. I. scribit: *Frequenter comœdis cœna distinguitur, vt voluptates quoque studiis condiantur.* conf. lib. I. ep. 15. Et JUVENALIS Sat. XI. v. 177.

*Nostra dabunt alios hodie conuiuia ludos:
Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis
Alifoni dubiam facientia carmina palmam.*

Et PERSIVS Sat. I. v. 30.

- - - *Ecce inter pocula querunt
Romulide saturi, quid dia poëmata narrent.*

Acroamatis hisce iucundis & honestis utebantur viri principes, literarum studio dediti, & frugalitatis amantes, qui vitæ elegant.

gantiam, & honestam voluptatem affectabant. Sic CICERO ad Atticum lib.I. ep. 9. *Puer festiuus, anagnostes noster, Sositheus decesserat, meque plus, quam serui mors debere videbatur, commouerat.* Et de ATTICO C. NEPOS l. c. *Nemo in conuiuio eius aliud acroama audiuit, quam anagnosten; quod nos quidem iucundissimum arbitramur. Neque vnquam sine aliqua lectione apud eum cœnatum est, vt non minus animo, quam ventre conuiuie delectarentur.* Eodem modo cœnasse se scribit PLINIVS lib.IX. ep. 36. *Cœnanti; inquit, mihi cum uxore vel paucis, liber legitur.* Hunc morem imitatus est CAROLVS M. Imperator, vt EGINHARDVS in eius vita auctor est. *Inter cœnandum, scribit, aut aliquod acroama, aut lectorem audiebat: legebantur ei historie & antiquorum regum gesta.* Hinc quoque forte manauit consuetudo, quæ hodie in cœnobiis, multisque collegiis Protestantium in academiis adhuc obtinet, & præscripta est, vt inter prandendum cœnandumque lector ex S. codice vel alio libro, ad temperandos commensalium mores, prælegat.

V.

Præter laudatos hos anagnostas, alii aliis, vt sua quemque trahit voluptas, inter cœnandum utebantur *acroamatis*. Nam
ad

ad diuitum & sumtuosorum pretiosas epulas admittebantur *aretalogi*. SVETON. Aug. 74. *Canam trinis ferculis, aut cum abundantissime, senis præbebat, ut non nimio sumtu, ita summa comitate. Nam & ad communionem sermonis tacentes vel submisse fabulantes prouocabat, & aut acroamata & histriones, aut etiam triviales ex circo ludios interponebat, ac frequentius aretalogos. Meminit eorum & JUVENALIS Sat. XV. v. 15.*

risum fortasse quibusdam

Mouerat, ut mendax aretalogus.

Sunt autem *aretalogi*, ut plerique autumant, parasitorum genus, qui ridiculis sermonibus placere student, & risum captant. TVRNEBO auctore, Aretalogus dicitur ab ἀρετός i. e. gratus & placens, & λέγω, dico, qui fabellas acromataque auribus auditorum grata loquitur l. X. c. 12.

Aliis hoc nomine insigniti videntur *parasiti philosophi*, & quos SENECA ep. 29. vocauit *circulatores philosophos*, Græci ἀγύετας, qui in conuiujs lautiorum, quæ frequentabant, de virtutibus & vitijs disceptabant. In hac sententia est CASAVBONVS, qui ad Suet. l. c. *Aretalogos*, inquit, *censeo*, appellatos *miseros quosdam philosophos, mera hominum mendicabula, sectæ fere Cynicæ, vel Stoicæ, qui, cum scholam & sectatores non habebant, conuiuia beatorum frequen-*

rabant, & Romulidas saturos variis de virtutibus & vitiis disceptationibus oblectabant. Ita multos, addit, vixisse philosophos, ex Laertii & Luciani scriptis, aliorumque apparet. Cl. HEVMANNVS Poec. tom. I. p. 511. ait, a iactatione Ἰών ἀπέλαν h. e. mirabilium operum dictos olim circulatores medicos fuisse aretalogos. Cui & nos assentimur, diuidendo vero eius sententiam. Concedimus nimirum atque probamus etiam, aretalogos esse dictos ab ἀπέλας λέγειν, magna & mira dicere, quia res & opera mirabilia, factaque heroum, fabularum veste, poetarum more, tecta enarrare & iactare solebant: qua ratione admirationem vel risum cœnantibus, & qui illos audiebant, facile mouere potuerunt. Id quod ex connexione loc. cit. IUVENALIS non obscure colligi potest, vbi inter fabulosam narrationem VLYSSIS apud HOMERVM de POLYPHEMO, comparatio Cyclope, cum narratione mendacis aretalogi instituitur. Hoc autem Viro Cl. largiri non possumus, per aretalogos speciatim circulatores medicos denotari. Nam tempore Augusti tales non exstiterunt, & si vel maxime fuerint, quis crederet, illos in imperatorium conuiuium fuisse admissos?

VI.

Acroamatum quoque numero & cœnantibus oblectamento fuerunt *histriones*,
scur

scurra, c) *pantomimi*, qui dictis ridiculis, salibusque risum ab epulantibus captabant: vel artificii motu, gestuque corporis, quicquid volebant, exprimere; etiam historias, fabulasque, ad stuporem vsque spectantium representare didicerant. Ita CLAVD. *Scurram & pantomimum* designat:

Qui latis risum salibus motuisse facetus,

Qui nutu, manibusque loquax --

Et MANILIVS lib. V.

In lucem eduntur Bacchi, Venerisque sequaces:

Perque dapés, mensaque super petulantia
corda,

Et sale mordaci dulces quærentia risus.

Hos autem in conuiujs Romanorum apparuisse, liquet ex verbis MARIJ, apud SALLVSTIVM de bello Jugurth. c. 85. *Sordidum me, & incultis moribus aiunt: quia parum scite conuiuium exorno, neque histrionem vllum, neque plaris pretii coquum, quam villicum habeo.* Hinc PLINIVS lib. IX. ep.

O O 2

17.

c) *Scurra*, initio suæ & politum genus hominum erant, qui ob vitæ elegantiam & dicendi leporem, omnibus charissimi. Hinc SOCRATES a ZENONE *Scurra Atticus* nominatur. CIC. I. I. de nat. D. Sed postea *Scurrarum* nomen, omnibus parasitis, Mimisque tributum, male audire cœpit.

17. - *quereris tædio tibi fuisse quamuis lautissimam cœnam, quia scurræ, cinedi, moriones mensis inerrabant. Idem patet ex SVET. TIB. c. LXI. Annalibus suis, inquit, vir consularis inseruit, frequenti quondam conuiuio, cui & ipse affuerit, interrogatum eum subito, & clare, a quodam nano, adstante mensæ, inter copreas, cur Paconius maiestatis reus tamdiu uiueret? Vbi per copreas homines βωμολόχοι, γελῶσποιοὶ, scurræ indigitantur. vid. CASAVB. ad h. l.*

Ad hæc acroamatum genera gladiatores quoque pertinent, quorum certamine luxuriose cœnantes Romani oculos pascere soliti. Moris huius meminit LIVIVS lib. IX. c. 40. *Campani, inquit, ab superbia & odio Samnitium, gladiatores (quod spectaculum inter epulas erat) eo ornatu armarunt, Samnitiumque nomine compellarunt.*

VII.

Inter acroamata veterum Romanorum non vltimum locum obtinebat *Musica*. In-
tromittebantur enim pueri symphoniaci,
cantores, tibicines, citharædi, aliique
musicæ artis periti. Testantur id QVIN-
TILIANVS lib. I. instit. Orat. c. 17. *Veterum quoque Romanorum, inquit, epulis fides ac tibus adhibere mos erat. LIVIVS etiam 3 dec. lib. IX. Tunc psaltria, sambu-*
ci-

cistræque & conuiuialia ludionum oblectamenta
addita epulis. Et A. GELLIVS. lib. I. c. II.
ffulatores, fidicines, tibicines, lasciuientium
delicias conuiuiorum vocat. conf. I. XIX. c. 9.
Quo spectat MANILIVS l. V. c. 18.

Ille dabit cantus inter conuiuia letus
Et HORATIVS carm. lib. III. od. II.
Testudinem vocat diuitum mensis & ami-
cam templis.

Sic MACROBIVS Sat. II. c. 4. de AVGV-
STO refert: Delectatus inter cœnam erat
pueris symphoniacis Turonii Flacci Mangonis:
atque eos frumento donauerat, cum in alia a-
croamata fuisset liberalis nummis. Eosdemque
postea Turonius, æque inter cœnam querenti
Cæsari, sic excusauit: ad molas sunt.
Hinc ex PLATONE & XENOPHONTE
disquirat A. MVRETIVS var. lect. lib. VI.
c. 15. rectene faciant, an secus, qui tibi-
cines aut citharædos, aut alia id genus a-
croamata, in conuiujs adhibent. Vbi
plura de hac musica coniuiali lectu iucun-
da tradit. Luxum hunc SENECA notat
lib. I. de vita beata c. II. & ep. 84. in co-
messationibus nostris plus cantorum est, quam
in theatris olim spectatorum fuit. Hinc MAR-
TIALIS IX. epig. 78. Quid optimum sit
queritis conuiuium? in quod choraules non ve-
nit. SIDONIVS lib. I. ep. II. de Theodorici
conuiujs: Sic tamen quod illic nec organa
O O 3 by-

*hydraulica sonent, nec sub phonaſco vocalium
concentus meditatam acroama intonat. Nul-
lus ibi lyriſtes &c.* Hæc a SIDONIO me-
morata organa hydraulica præcipua fuiſſe
instrumenta quibus triclinia perſonarunt,
DEMPSTERVS refert paral. ad Roſini an-
tiq. l. V.

Nec tantum pueri ſymphoniaci huic mini-
ſterio adhibiti ſunt, ſed delicatas etiam
pulchrasque puellas accerſitas legimus, qua-
cum laſciua voce, obſcœna carmina de-
cantantes, tum lubricos & impudicos
motus, nudato corpore exprimentes, pru-
ritum libidinis intuentibus excitabant.
Hinc MACROB. Sat. II. c. I. ex Prætexta-
to -- *Quia ſub illorum, inquit, ſupercilio
non deſuit, qui pſaltriam intromitti peteret:
vt puella ex induſtria ſupra naturam mollior,
canora dulcedine, & ſaltationis lubrico exer-
ceret illecebris philoſophantes.* Et JUVENA-
LIS Sat. XI. 162. ſeq.

*Forſitan exſpectes, vt Gaditana canoro
Incipiat prurire choro, plauſuque probate
Ad terram tremulo descendant clune puellæ
Irritamentum Veneris languentis & acres
Diuitis vrtice.*

Sed de procacibus hiſce puellis & obſcœ-
no earum miniſterio, omnes honeſtatis
terminos tranſiliente, plura perſequi pu-
dor prohibet.

Cæterum. *acroamata* hæc *musica* in au-
lis principum, & præsertim apud veteres
Græcos, *musicæ* artis amantissimos, nullo
non tempore celebratissima fuerunt.
QVINCTIL. l. I. c. 17. conf. DEYLINGIVS
obseru. S. p. III. obs. 44. In aula Dauidis
iam cantores & cantrices mensæ apparu-
isse, non obscure colligere licet ex ora-
tione BERZELÆI, qui gratiam regis, ipsum
in aulam ducturi Hierosolymam, ita re-
cusabat: *Ago nunc octogesimum annum: po-
terone bonum a malo discernere? poterone ci-
bo & potione delectari? aut fidicium, fidici-
narumue cantus audire? quid opus est, ut ti-
bi amplius sim oneri?* 2 Sam. XIX. 35.

VII.

Hactenus, quæ veterum Romanorum
fuerint *acroamata*, exposui. Hoc vnum ad-
dere lubet, & apud Christianos ipsos, quo-
rum mores pro dolor! sæpe gentilitatem
sapiunt, olim conuiuiorum *acroamata* fu-
isse *thymelicos*: qui, vt HILDEBRANDVS
lib. sing. de nuptiis veterum Christiano-
rum p. 102. exponit, *fuerunt gesticulatores,*
*qui in pulpito orchestre (quod thymelen voca-
bant) fabule agende subserviebant, & histrio-
nibus in scena abditis, populum variis iocis ac
nugis ad cachinnos provocabant.* Hinc cleri-
cis conuiuia eiusmodi plane interdicta le-

gimus. Concilium Agathense c. XXXIX. Presbyteri, inquit, Diaconi, subdiaconi, quibus ducendi uxores licentia modo non est, etiam aliarum nuptiarum euitent conuiuia, nec his cætibus misceantur, ubi amatoria canuntur. Et licet subsequenti tempore eiusmodi conuiujs interesse permitteretur, tempestiue tamen eos surgere iubet canon LXXXIII. Synodi Aquisgranensis IX, sec. sub Ludouico Pio intra Germaniam coacta: *Non oportet Sacerdotes aut Clericos quibuscumque spectaculis in scenis aut in nuptiis interesse, sed antequam thymelici ingrediantur, exsurgere eos conuenit & inde discedere.* Canon idem reperitur inter canones Concil. Laodiceni LIV, quod non oporteat Sacerdotes aut Clericos spectacula aliqua contemplari in nuptiis vel conuiujs, sed antequam thymelici ingrediantur, eos surgere & discedere.

Luxuriosam hanc conuiuandi rationem & ἀσωτίαν Gentilium D. PAVLLVS de-
testans, serio illam prohibet, eaque si-
mul acroamata commendat, quæ Christi-
ano homini maxime in delicijs esse de-
bent, ep. ad Ephesios cap. V. 18. 19. quo
diuino canone hanc qualemcunque meam
dissertationem finio. Μη μεθύσκεθε, in-
quit, οἴνω, ἐν ᾧ ἐστὶν ἀσωτία, ἀλλὰ πληροῦθε
ἐν πνεύματι. Ἁλλήλους ἐαυτοῖς ψαλμοῖς, καὶ
ὕμνοις, καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς, ᾄδοντες καὶ ψάλ-
λοντες ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν τῷ κυρίῳ.

V.

FERDINANDI STOSCH
 ANALECTA
 AD
 CATALOGVM
 COMMENTARIORVM
 RARIORVM
 IN
 APOCALYPSIN.

Non solum cel. IKENIO, pro insigni illo favore ac humanitate, quibus meam qualemcunque, de rarioribus in Johannis apocalypsin commentariis, opellam, & excepit, & precibus meis, eandem eruditissimis pariter ac utilissimis adnotationibus augens, ei in his Symbolis, Tom. I. Part. IV. pag. 560. & seqq. locum dedit; grates, quas debeo, ago habeoque maximas: Verum etiam doct. HEVMANNO, a quo quantum profecerim, & quotidie proficiam, grato animo semper teneo, pro ea, quam benevole contulit, symbola, obstrictissimum me publice profiteor. Hic ipse autem, quo me ita adfecerunt viri

O o 5

sum-

summi, honor, ut catalogo meo quædam adhuc analecta adderem, excitavit. Quæ, etfi minoris forte momenti, notatu tamen haud injucunda, erunt.

I.

Et primo quidem ALFONSI CONRADI MANTVANI commentarii (qui, quanti faciendus sit, celeb. HEVMANNVS p. 552. docet, & jam pridem in bibl. Brem. cl. I. p. 866, ejus, capituli XIII, vers. 8. explicationis vestigiis insistentens, declaravit,) duas prodiisse editiones, deinceps adnotavi. Præter eam enim, quam indicavi, Basilæensem 1574, bibliothecæ OLZELIANÆ catalogus antiquiorem exhibet, anno nimirum 1560. 8. in eadem civitate prelo liberatam. Quam etiam indicat, inter apocalypseos expostores haud sane infimus, W. COUPERVS, in *introd. in script. apoc. opp. edit. Belg. p. m. 6.*

II.

Inter illos, quos eruditiss. IKENIVS catalogo meo adjecit, de JO. NAPEIRII commentario quædam subuectere liceat. Quanti ille, seculo elapso habitus fuerit, plures illius, quarum brevi temporis spatio una alteram exceperit, versiones & edition-

tiones (ut commentatorum tantum non omnium elogia taceam) testimonio posunt esse luculentissimo. Prima eaque authentica est, quæ anglico, aut potius, scotico idiomate prodiit, Edimburgi 1593. Sequuta est deinde alia Londini 1611. Gallice prodiit Rupellæ 1603 & 1607. Belgico habitu indutus fuit a M. Pannelio, ecclesiae Medioburgensi 1600. Germanicæ editiones tres habentur: Francof. 1615 & 1627. 8. ac Geræ 1661. 4. Ex his prima editio, de qua res est, editorem habet, WOLFGANGVM MAYERVVM, S. T. D. & ecclesiast. Basilænsẽm, qui se, collatis reliquis omnibus, suam adornasse versionem testatur. De systemate ac methodo auctoris conferri merentur COUPERVS l. c. & MARKIVS præf. ad apoc. §. 12.

III.

BRIGHTMANNI opus, utrum cel. HEVMANNVS rarioribus multo jure adnumeret, ferme dubito; partim, quod sapius sese mihi obtulerit; partim, quod plerisque commentatoribus notum & celebratum sit. Possideo ego editionem 1612. Heidelb. 8. Ipse vero auctor scripsit 1606. Est sane cæterum, suo jure, melioris notæ in apocalypsin scriptoribus adnumerandus.

dus, sæpeque a præstantissimis interpreti-
 bus recentioribus, e. g. SVICERO, PA-
 REO, BIERMANNO, VITRINGA, in
 consilium adhibitus. Et durius aliquanto
 videtur COUPERI iudicium, titulum il-
 lud potius mereri, ἀπόκρυφισ, quam ἀπο-
 κάλυψις apocalypseos. Prodiit autem adver-
 sus eum CYDONII castigatio Colon. 1613.
 De ejus systemate vid. iterum COUPERVS
 & MARK. l. l. c. c.

IV.

Sequitur in schediasmate JONAS LE
 BVY; Quo nomine, cleri metu, ficto,
 LAVNÆVM semet occultasse quoque jam
 monuit DAV. ANCILLON, in *Misc. crit.*
P. I. p. 167. Conf. *acta erud. Lips.* 1698. p.
 289. Gallicus titulus est: *Paraphrase & ex-*
position sur l'apocalypse, ex editione Gene-
 venfi 1651. 4. Pastim eum laudat cel. VI-
 TRINGA, & de systemate ejus quadam
 exhibet, p. 29. Idem vero auctor, notis
 etiam suis in biblia quæ Gallice quoque
 prodire Genev. 1667. 4. celeberr. est.

V.

De PEGANIO, quem huic subjungit
 doctiss. IKENIVS, quis sub hoc nomine
 lateat, res non adeo certa est. KNOR-
 RI-

RIVM plurimi quidem existimant, ut præter jam adlatos, DAHLEMANN in *Schauplatz, masquirter und demasq. gelehrten* p. 256. REINBECK in *præf. ad dilucid. apoc. germ.* & WOLFIVS in *cur.* T. IV. p. 374. Interim SPENERVS tamen, in *letzten Theol. Bedenken* P. I. p. 269, eumque sequutus cel. MOSHEMVS, in *diss. de spiritu prophetiæ de Christo testante, ad Apoc. XIX. 10.* Helmst. 1734. doctorem KOLHANSIVM auctorem perhibent. Prelo quoque exiit Amstel. 1671. 12. DAHLEMANNVS p. 95. istam apocalypseos declarationem cum ONEIROCRITICO LEVNCLAVII confert.

VI.

Et sic quidem, cum idem vir summus, post Peganium, commentarii mscpti HARDENBERGII mentionem injiciat: opportune ad mscptorum quorundam catalogum nectendum venio. En ergo primo quædam, quæ inter bibliothecæ Berolinensis cimelia adservantur.

1. Mscptum Seculi XIV. manu eleganti, literis initialibus deauratis, pro temporum more, nitidissimis: *apocalypsis cum notis & glossis*, germanice. Glossæ sunt simplicissimæ, e. g. ad verba c. I. *seinen Knechten*, additur, *niet den Juden, noch den philosophen.* fol.

2.

2. Membrana Seculi XIV. sat nitida: *apocalypsis B. Johannis apostoli, quam excipit commentarius auctoris anonymi, qui post Sec. XII. vixit.* Apocalypsin antecedit praefatio, quae in quibusdam exemplaribus manuscriptorum bibliorum legitur, & tribuitur GILBERTO PICTAVIENSI in *Tom. XI. P. II. Opp. T. Aquinatis, edit. Paris.* Commentarius fere totus est literalis. Sic e. g. ad Apoc. II. 18, *Jesabel, uxor episcopi dicitur.*

3. *Lectura super apocalypsin B. Johannis Evangelistae, collecta per honorabilem virum PETRUM STORCH, Sacrae Theol. Doct. & Prof. Et est finita in vigilia annunciationis gloriosissimae virginis Mariae, in alma universitate studii Lipsiensis, ao. D. MCCCCLXIV. fol.*

4. *Dis Buch und lernen ist geheissen und genannt die fier und Zwenzig alten.* Mscptum Sec. XV. Videtur continere explicationem symbolico-propheticam viginti quatuor seniorum apocalypsis, quorum quivis sigillatim in effigie exhibetur. Liber tamen adeo obscurus, ut vix quidquam intelligi queat. In fine exstat: *finitum per me Johannem Mayer d' Auerdenbach (l. Werdenbach) anno domini MCCCCXLVIII. fol.*

5. *In apocalypsin commentarius collectus ex Lyrano & Nic. Gorrano.* Mscpt. Sec. XV. 6.

6. Commentarii, inter opera AMBRO-
SII editi, codicem quoque habet biblio-
theca illa, Seculi XII, qui BERENGAVDI
nomen fert. Quod notari ad eorum con-
firmationem meretur, quæ in *supplem. act.
erud. Lips. T. II. p. 221.* & ab HOTTINGE-
RO, *de scriptis suppositiis* p. 86. de hujus
commentarii auctore disputata fuere. Si-
mitem codicem in bibliotheca quoque
Parifina adservari, testatur BOSSVETVS,
quem videtis in præf. ad com. Gall. p. 22.

VII.

Reliquos, adjectis, apud quos plura
de iis videri possunt, auctoribus, tantum
indicasse sufficiat:

1. *In librum vite sanctissimum commenta-
rius* &c. Vid. SCHELHORNII *amcen. lit.*
T. III. p. 65. *in memorab. bibl. Raym. de Krafft.*
Addit p. 66. *adest & alius prolixior hujus ja-
rvinæ commentarius in apoc.*

2. *Ci commence le livre qui est apelez lapa-
calypse Monseigneur St. Jehan levangeliste.*
In fine legitur: *Ci fenist le livre Monseigneur
St. Jehan levangeliste.* De curiosissimo isto
commentario, Burgundica lingua exarato
agit GOETZIVS. *Merkw. der dresd. bibl.*
T. I. p. 177.

3. Alius plurima ex parte Hugoni cardinali concinentis, mentionem injicit COUPERVS l. c.

4. De APRIGII PACENSIS commentario conf. quaedam cel. MOSHEMI in *bibl. Brem.* cl. VI. p. 749.

VIII.

De aliis hactenus ineditis, partim tamen promissis, REICHELII, TOSSANI, BURMANNI, BRAVNII, HVLSII, DVISINGII, EWALDI, CREMERI, SCHWARZII, DANNHAWERI, ACKERI, REIMMANNI, VOGETII, WETSTENI, aliorumque jam nihil addo. Juvat tantummodo coronidis loco id adhuc adnotare, quod jure suo notatus fuerit DAV. ANCILLON in *act. erud. Lips.* l. c. qui, ante Bedam neminem in apocalypsin commentarium scripsisse, nec post eum quenquam istius libri explicationem adgressum, leviter adfirmat, usque ad an. 1389. quo in Polonia aut Livonia (conf. n. II. catalogi nostri) novus in eam commentarius prodierit. Vel ex paucis enim iis, quæ a nobis adlata fuere, contrarium hujus adfert patere potest. Fuit sane semper liber iste sanctissimus ecclesiæ dei maximo in pretio, piorumque diligentiam, per omnia christianismi secula exercuit. Exercebit etiam porro, quamdiu divinis libris,

bris, suus apud quosdam constabit honor.
Neque verendam est, ne unquam inter
vera locum sibi vindicet, eruditi cujusdam
Galli judicium, in *bibl. rais*: T. XXXIII.
p. 429. *Vix apocalypsin amplius pro concione
explicari, aut quicquam in eam scribi &c.*
Quod, quotidiana experientia refutatur,
reique literariae & ecclesiasticae ignoran-
tiam prodit haud mediocrem.

VI.

CONRADI IKENII
DISSERTATIONCVLA

AD LOCVM

FESTI AVIENI

IN

DESCRIPTIONE ORBIS vs. 418.

I

Nunquam sine insigni voluptate at-
que fructu volvo, incredibili
doctrinae copia refertum opus,
quod sub nomine MISCELLA-
NEARVM OBSERVATIONVM

in Auctores Veteres & Recentiores, ab Eruditis
T. II. P. III. P p Bri-

Britannis edi captarum, cum Notis & Auctario Variorum Virorum Doctorum, in Belgio prodit. Tantam enim illud lucem varii generis litteris, inprimis illis, quæ ab humanitate nomen ferunt, fœneratur, tantam Scriptoribus Græcis Latinisque, temporum injuriâ, aut incuriâ atque inscitâ, sive Amanuentium, sive Typothetarum, pessimè habitis medelam adfert, ut ultrò pateat, principes in hoc studiorum genere Viros in eo adornando occupatos esse debuisse, omnésque qui sacra amant musica ejus continuationem omnibus votis expetituri sint. Inprimis in summis illis Viris cum invidendâ eruditione celebranda est animi æquitas & moderatio, quâ dissentientes à se ferre, quin & eorum discrepantes sententias ipsimet operi nonnunquam inferere non detrectârunt. Non igitur, qui ex eorum numero adhuc supersunt, ægrè laturus confido, si & ipse aliquando datâ occasione, de nonnullis, in quibus mihi duces exstiterunt, conjecturas meas, tam ipsorum quàm reliqui eruditi orbis judicio, submittere audeam.

II.

Et hac quidem vice me converto ad verba FESTI AVIENI in *Descript. Orbis* ubi vs. 418. legitur

Arva tenens. auris nimium vicina Britannis;
ad

ad quem locum monetur in *Miscellan. Observat.* A. 1732. p. 275. & seq: Hic,,
Hudfonius vult legi *arvis* vel *duris*. Quod,,
ad me attinet, credo veram lectionem,,
esse *Cauris*; Virg. III. Georg. 356. ,,

Spirantes frigora Cauri , ,,

Cæsar B. G. V. 6. *Corus ventus navigatio-,,
nem impediēbat, qui magnum partem omnis,,
temporis in his locis flare consuevit.* ,,

Avienus sæpe utitur voce *Caurus*. Duo,,
Codices, unus, qui fuit olim Ortelii &,,
alter, quem Heinſius conſuluit, habent, ,,
duris nimium vicina Britannis. ,,

dira agmina Britannorum vocat vs. 747. ,,
dura autem & *dira* paſſim confundi no-,,
tum eſt. A. ,,

Ingenium ſapiunt omnes hæ emenda-
tiones, verùm, ad me quod attinet, non
exiſtimo, locum medicâ manu indigere,
ſed omnia potius ſana eſſe.

III.

Tantum obſervo, primò, diſtinctionem
majorem, in *Geograph. Vet. Scriptoris Gre-*
cis ab HUDSONO editis Vol. IV, p. 11. mi-
nùs rectè poni poſt *Arva tenent*; ita ut re-
liqua verba hujus verſùs ab illis divellan-
tur & ad ſequentia referantur, ac ſi illis de-
ſcriptio Germaniæ incipiat. Habet e-

P p 2 nim

nim nescio quid duri versus, si secundum hanc distinctionem legatur :

- - - *auris nimum vicina Britannis,
Flaváque cesariem Germania porrrigit ora,
Dumosa Herciniæ peragrans confinia silvæ.*

Contra autem omnia egregiè fluunt, si punctum ponatur post *Britannis*, ita ut integer versus 418. adhuc ad descriptionem *Hispaniæ*, & imprimis regionis *Iberorum* pertineat; tum verò versu 419. demum *Germaniæ* descriptio inchoëtur, hac ratione :

- - - *tellus Europa columnis
Proxima, magnanimos colit equo cespite
Iberos.*

*Hi super oceani borealia frigida tangunt
Æquora, & excursu diffusi latius agri
Arva tenent, auris nimum vicina Bri-
tannis.*

*Flaváque cesariem Germania porrrigit
ora, &c.*

Deinde illud quoque optimè convenit verbis DIONYSII in *Periegesi*, cujus Latinam paraphrasin dedit AVIENVS, ut ex mox dicendis elucescet. Neque scio, an ipsi forsan *Eruditissimi Observat. Miscell. Auctores*, id agnoverint, aut saltem eâ de re dubitaverint, dum post voces *arva tenent*, non ut in *Hudsonianâ* editione *punctum*, sed *comma* ponunt. IV.

ad locum Festi Avieni in Descr. O. 573

IV.

Porro ad ipsas *auras britannas* quod spectat, observandum, vocem *auræ* sapissime pro *vento* poni, & illo quidem, non leni tantum, sed & vehementiore atque impetuosiore, idque non solum in singulari numero, sed & multitudinis. Prioris exemplum habes apud Ovidium in Remed. Amor. vs. 807.

*Nutritur vento, vento restinguitur ignis,
Lenis alit flammam GRANDIOR AVRA
necat.*

& Metamorph. Lib. III. vs. 209.

Inde ruunt alii rapidâ velocius AVRA;
posterioris autem apud eundem i Trist.
IV. 17.

*Quod si mutatas emisserit Æolus AVRAS,
In loca jam nobis non adeunda ferar.*

ut & Virgilium, Ecl. IX. vs. 58.

*(Aspice) ventosi ceciderunt murmuris AVRÆ,
nec non Sil. Ital. Lib. IX. vs. 501.*

Eripuere oculos AVRÆ, vocemque manusque:
ad quem locum eruditissimus DRAKEN-
BVRGIVS simul alium vs. 522. adducit:

In Martem venit immixtus mugitibus AVRAS.

V.

Deinde constat, ventos sæpe peculiare denominationes accipere, ut docet GELLIVS Lib. II. cap. XXII. idque inprimis à regionibus unde spirant. Ita HORATIVS non solum *animas Thracias* memorat, Lib. IV. Od. XII. sive generatim ita ventos appellari censeas, quod Thracia communis eorum haberetur patria, sive potius, cum optimis commentatoribus, ad *favonium* aut *zephyrum* respici statuas, in relatione ad regiones, de quibus HORATIVS agit, ex *Thraciâ* flantem; sed & hinc creber *procellis Africus* ab *Africâ* nomen accepit, quem admodum idem & *Libycus*, à *Libyâ*, *Africe* regione, dicitur. Eadem ratione CIRCIVM ventum GALLICVM appellârunt Hispani, TESTE ISIDORO, quod à parte Gallie flaret, atque ita simpliciter quoque appellavit VITRUVIVS, ut docet GRONOVIVS ad Gellii loc. adductum. Idem occasione verborum ejusdem scriptoris: *Fapygie ipsius ore proficiscentem quasi finibus Apuli, eodem, quo ipsi sunt, nomine Fapygem dicunt, dein monet, ventum Fapyga non solum agnosci in Fapygiâ, sed & extra eam notum esse, nempe in partibus magis orientalibus, ut ipse ex Fapygiâ tanquam occidente procedat, adeo ut & Cleopatra, in Egyptum fugiens, ferri Fapyge dicatur, apud Virgilium, & Arrianus audeat Lib. V. ἀναβάσειος Alexandri, facere ejus mentionem*

in limitibus Indiae, quasi per universam Asiam eonomine appellari solitus fuerit ventus ab occidente flans. Ut de vento Græco & similibus taceam, de quibus videri potest LIL. GYRALD. Hist. Deorum Synt. V. sub finem. Huc quoque imprimis referri debet Dalmaticus Boreas Calabérque Auster, apud LVCANVM Lib. V. vs. 378. seqq.

- - *Ausoniam qua torquens frugifer oram,*
DALMATICO BOREÆ, CALABRO-
QVE obnoxius AVSTRO

Apulus Hadriacas exit Garganus in undas.

Quòd si exemplum fortè desideres, ubi voci auræ quoque simile epitheton jungatur, en tibi JVSTINI verba Lib. XLIV. I. in descriptione Hispaniæ: *Huc accedunt & MARINÆ AVRÆ undique versus assidui flatus.* Quis igitur dubitare poterit, rectissimè AVRAS BRITANNAS dici VENTVM AQVILONAREM, *ex Britannia in Hispaniam flantem?*

VI.

Atque hic verborum sensus omnibus loci circumstantiis egregiè convenit. Scilicet ut incommodum arvorum ab *Iberis*, (Hispaniæ borealioris populis,) inhabitatorum, considerat AVIENVVS, quòd *arva hæc auris sint nimium vicina Britannis.* Cujus rei ratio est, quòd hæc arva vento aquilonari ex Britannia trans mare spiranti

exposita, ob frigus ibidem regnans minus
 culta atque sterilia sunt. Referunt hanc
 tractus hujus borealis Hispaniæ conditio-
 nem passim omnes Geographi. Ex anti-
 quioribus audiamus tantum STRABO-
 NEM edit. ALMELOV. p. 200. ita Hispani-
 am describentem: τάυτης δὴ τὸ μὲν πλεον οἰκεῖ-
 ται Φάυλος ὄρη γὰρ καὶ ὄρη καὶ ὄρη καὶ πεδία λεπ-
 τὴν ἔχοντα γῆν, οὐδὲ τάυτην ὁμαλῶς εὐδερῶν οἰ-
 κούσι τὴν πολλὴν ἢ δὲ πρόσβορος ψυχράτε ἐστὶ
 τελέως πρὸς τὴν τραχύτητι, καὶ παραωκεανίτις,
 προσειληφύνα τὸ ἀμικλον καὶ ἀνεπίπλεκλον τοῖς ἄλ-
 λοις. ὡδ' ὑπερβάλλει τὴ μοχθηρία τῆς οἰκίσεως;
 i. e. summo CASAVBONO interprete,
*Ejus magna pars incommode habitatur: quip-
 pe montes & sylvas & campos terrâ præditos
 exili, neque equaliter aquis irriguam magnâ
 ex parte incolunt: tum PARS SEPTENTRI-
 ONI OBJECTA, præter asperitatem ETIAM
 FRIGIDISSIMA EST: & quia ad Oceanum
 pertinet, id accedit, quod nulla ejus incolis
 sunt cum aliis hominibus commercia, itaque
 ibi pessimè degitur.* & p. 248. ἑλαίας δὲ περι-
 καὶ ἀμπέλου καὶ συκῆς καὶ τῶν παραπλησιῶν φυ-
 λῶν, ἢ κατ' ἡμᾶς Ἰβηρικὴ παραλία εὐπορεῖ
 συκὴ δὲ καὶ τῶν ἐπιός, ἢ παραωκεανίτις (vel, ut
 locum restituit Xylander, συκὴ δὲ καὶ ἢ ἐπιός.
 ἢ δὲ παραωκεανίτις) ἢ πρόσβορος ἀμοιρεῖ δια τὰ
 ψύχη. *Quod ad oleas, ficus, vites (rectius
 vites, ficus) aliásque id genus plantas attinet,
 omnibus ora Hispaniæ nostrum mare tangens,
 abundat: multum etiam nascitur in mediterraneis*

weis. ORA AVTEM AD OCEANVM SEP-
TENTRIONI OB̄JECTA IIS CARET OB̄-
FRIGVVS: Atque his convenient, quæ DIO-
NYS. in Periegesi vs. 282. seqq. habet:

Τῆς ἥτοι πυμάτην μὲν ὑπὸ γλαχίνα νέμονται
Ἀγχου σηλάων, μεγαθύμων ἔθνος Ἰβήρων
Μῆκος ἐπ' ἠπείροιο τετραμμένον, ἥχι βορείς
ὠκεανοῦ κέχυται ψυχρὸς ῥόος· ἐνθα Βρετανόι,
κ. γ. λ.

Cujus videlicet extremo sub angulo habitant,
Prope columnas, magnanimorum gens Ibe-
rorum,

In longitudinem continentis versa; ubi bo-
realis

Oceani diffusum est frigidum fluentum: ubi
Britanni &c.

Quæ AVIENVVS noster ita παραφράζει

- - - - tellus Europa columnis

Proxumama, gnanimos alit æquo cespite Iberos.

Hi super Oceani borealis frigida tangunt

Æquora, & excursu diffusi latius agri

Arva tenent, auris nimium vicina Britannis.

& PRISCIANVS vs. 268. seqq.

Ad cujus summum, prope metas Herculis alti,

Magnanimæ gentes, dederat quibus nomen Ibe-
rus,

Ad spatium multum terrarum rura colentes,

Oceanum boreo contingunt frigore durum.

Cum autem frigus in tali regione ad mare

boream versus sita, à vento aquilonari

Præcipuè provenire eoque saltem immen-
sum

sum augeri soleat, mirum non est, quod AVIENVS, pro eâ, quâ in hac paraphrasi uti solet, libertate, ejus inprimis ut causâ intenti frigoris indeque ortæ sterilitatis atque incommodorum, mentionem injiciat: quod tantò verosimilius, quo magis ex ipso AVIENO patet, aliàs quoque dum de *Iberiâ* & *Britanniâ* ageret. eosdem hos *gelidi Aquilonis flatus* ipsius oculis obversatos esse; ita enim dein vs. 743. seqq. iterum canit:

- - - - - acer Iberus
*Hæc freta veloci percurrit sæpe faselo.
 Eminus hic aliæ gelidi prope flabra Aquilonis
 Exsuperant undas, & vasta cacumina tollunt.
 Hæ numero geminæ, pingueis sola, cespitis
 ample,
 Conditur occidui qua Rhenus gurgitis unda,
 Diva Britannorum sustentant agmina terris.*

VII.

Possem sic observatiunculæ huic finem imponere, nisi ad eorum, quæ dicta sunt, confirmationem, juvaret, breviter adhuc ostendere, quàm exigua probabilitatis specie se omnes illæ emendationes commendent, inprimis si cum receptâ lectione comparentur, quantumque adeò hæc illis præferenda sit.

ad locum Festi Avieni in Descr. O. 579

1. Qui pro *auris*, *arvis* legunt, illorum sententia nullius codicis MSc. auctoritate, sed merâ conjecturâ nititur, cui sine dubio ansam dedit, quòd eadem vox *arva* præcederet. Verùm debile admodum hoc argumentum est, quia non infrequens est pœtis, ut *arva* & *auras* in eodem versu jungant, ut Virg. Georg. Lib II. vs. 422.

Cùm semel hæserunt *ARVIS*, *AVRASQUE*
tulerunt.

Præterea, uti vix video, quo pacto *Iberorum arva* possint dici nimum vicina *arvis Britannis*, cùm non exiguo spatio ab illis distent, ita planè non capio, quomodo vel in illorum, vel etiam in *arvorum Germanie* (si *HVDSONI* distinctionem servare malis) incommodum cedat, quòd sint nimis vicina *arvis Britannis*, inprimis ex mente Dionysii, quia neque *Britanni Iberis* aut *Germanis* magno opere formidandi erant, neque ita à *Dionysio* proponuntur, ut com. seq. videbimus.

2. Multò minùs autem audiendi erunt qui *Cauris* legi malunt. Cùm enim *caurus* ex ventorum genere sit, & auræ sæpissime, ut visum, pro vento ponantur, rectè *cauri britanni*, id est ex *britannia* flantes, etiam
au-

auræ britanniæ dici poterunt; ut ad eò hac emendatione, in primis, cum nullà quoque codicum auctoritate se commendet, minimè opus sit.

VIII.

Hoc ipso autem præstare videtur, ultima conjectura cujus & antea jam HVDSONO in mentem venerat, scilicet pro *auris* legendum *duris*; hoc enim duos codices habere, tum quoque & ipsum Aviennum, loco com. VI. allegato *dura Britannorum agmina* memorare, *dura* autem & *dura* passim confundi. Verùm uti posterius indubium est, quod fusè docuit *Celeb. DRAKENBURG.* ad *Sil. Ital.* Lib. XIV. vs. 126. ita ipsa tamen conjectura mihi minimè placet. Licet enim non negem, Britannos in se consideratos rectè *duros* dici posse, in hac tamen relatione, in quâ de illis agit AVIENVS, hoc epitheton illis non competit, multò minùs eam ob causam sive *Iberorum arva*, si verba eò mecum referas, possunt infelicia reputari, quòd *duris nimium sint vicina Britannis*, sive etiam *Germanorum*, si receptam distinctionem sequaris. Nam quod ad Hispaniæ illius maritimæ versus aquilonem incolas *Iberos*, *Cantabros*, *Astures* &c. attinet, hi sanè non solum à ferociâ, morum asperitate atque for-

ad locum Festi Avieni in Descr. O. (581)

fortitudine bellicâ ita jam apud Veteres, STRABONEM, I. CÆSAREM, FLORVM aliósque describuntur, ut pateat, illis non magis eorúmque terris à Britannis, quàm Britannis eorúmque regioni ab his metuendum fuisse, sed & ipse AVIENS, illos potius ut duros describit in Ora Marit. vs. 550.

*Ceretes omne est Acroceretes prius
Habere DVRI: nunc pari sub nomine
Gens est Iberum:*

ut taceam ipsum DIONYS. h. l. *Iberos μεγαθύμους* & AVIENSVM Magnanimos, nec non PRISCIANVM, MAGNANIMAS GENTES appellare. Idem uti rectissimè de Germaniæ populis asseritur, ita imprimis ipsius quoque DIONYSII verbis in *Perieges.* vs. 284. confirmatur

- - - - - ἔνθα Βρεῖται,
Λευκά τε Φῦλα νέμονται ἀγριμανέων Γερμανῶν
- - - - - ubi Britanni,
*Albæque gentes habitant MARTIORVM
GERMANORVM.*

Vides hîc B. L. DIONYSIVM clarissimè *Germanos* ut duros, sub epitheto *martiorum*, & quidem distinctè à *Britannis* proponere.

(P p 6)

(582) Conradi Ikenii Dissertatiuncula

nere, quod & optimè observavit PRISCIANVS, hæc reddens

Qua sunt Germani BELLACES atque Britanni.

Quis igitur credat, Dionysii Paraphrasten ausum fuisse, rem penitus invertere, & non solum *Britannos duros*, sed tales in oppositione *Germanorum* appellare, imò horum terram idcirco ut infeliciorem describere, quod *duris Britannis* nimium vicina esset? Sanè multâ quidem usus est AVIENVS licentiâ, cujus vestigia quoque in ipso hoc loco occurrunt, dum illud de *auris* addit, & tantum hac occasione implicite Britannix mentionem facit, at longè aliud est in Paraphraste si quid addat, aut in aliâ paululum relatione tangat, quàm si illi, quem sibi sequendum aliâque linguâ reddendum proposuerat, aperte contradicat, quod absque necessitate nemo facile admittet.

IX.

Colophonis loco adhuc addo, quòd, si quis omnino, positâ distinctione majore post voces, *arva tenent*, sequentia verba ad *Germaniam* referre malit, vel fictamen,

ad locum Festi Avieni in Descr. O. (583)

men recepta lectio servari queat. Respi-
ceretur enim tunc sine dubio ad ventum
Caurum vel *Corum*, qui in primis vehemen-
tius frigus inducit; unde non solum, ut
doctus Observat. Auctor jam monuit, VIR-
GILIUS *amantes frigora Cauros* appellat,
sed & PLINIVS Lib. II. cap. XLVII. ait:
VENTORVM FRIGIDISSIMI sunt, quos à
Septentrione diximus spirare, & vicinus his CO-
RVS. Tum quoque idem GRANDINES
IMPORTAT, ut PLIN. mox subjungit, &
multo impetu plerumque furit, mare tur-
bat, regionésque & portus, quos impe-
tit, infestat; unde *COELI FVSCATOR*
EOI, LVCANO Lib. IV. vs. 66. audit, i-
demque *VIOLENTOS COROS* memorat
Lib. II. 617. & VII. 125. imò, quod pro-
piùs huc facit, tutam Herculeo sacrati
numine portus stationem, in eo præcipue
collocat, quòd *non CORVS in illum jus hæ-*
bet aut Zephyrus, Lib. IV. vs. 406. Cùm i-
gitur Cori ex Britannia in Germaniæ in-
ferioris vicinasque regiones multo anni
tempore spirantes, iis admodum graves
sint, quemadmodum & Cæsaris navigati-
onem ex portu *Itio* ad tempus impedi-
bant, ut ex loco CÆS. Lib. V. c. VII. de
B.G. ab erudito Observ. Auctore collato, &
à nobis supra adducto patet, non imme-
rito *Coris* his *Britannorum* nomen dari, nec

(P p 7)

abs=

(584) **Conradi Ikenii Differtatiuncula**

absque omni ratione Germania, illis ex-
posita, hanc ob causam iisdem nimirum
vicina dici posset: neque tamen vel idcir-
cò ulla mutatione opus est, cum, ut su-
pra jam monuimus, venti ex Britannia in
illas oras flantes, satis rectè *aura Britan-
næ* appellari queant. Ceterum, utrum hæc
sententia priori, quam adstruximus, an
illa potius huic præferenda sit, iudicium
penes lectorem esto!



Af 2546

ULB Halle


3

006 360 386



WIP





SYMBOLÆ
LITERARIÆ

AD
INCREMENTUM
SCIENTIARUM OMNE GENUS

A
VARIIS AMICE COLLATÆ.
TOMI SECUNDI

PARS III.



BREMÆ

Sumptibus GERH. WILH. RUMPII.

Anno MDCCXLVI.